Nf. 60. 3.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-791626-p0002-2

DE

GAZA DERELICTA FVTVRA

AD ILLVSTRANDVM LOCVM ZEPH. II, 4.

DISSERTATIO PRIOR.

QVAM

S. REV. ORDINIS THEOL. CONSENSV

PRO LICENTIA

SVMMOS IN THEOLOGIA HONORES

CONSEQVENDI

D. XIII. ET XIV. APRIL. A. CIↃIↃCCLXVIII.

IN AVDITORIO COLLEGII MAIORIS

DEFENDENDAM

EXHIBET

IOANNES FRIDERICVS BVRSCHER

SS. THEOL. BACC. ET PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS DES

GNATVS, PHILOS. PROF. EXTRAORD. COLLEGII MAIORIS

PRINCIPVM SODALIS ET H. T. PRAEPOSITVS.

LIPSIAE,

LITTERIS VDALRICI CHRISTIANI SAALBACHII.

ILLVSTRISSIMIS

ATQVE

EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,

DOMINO

CHRISTIANO

S. R. I. COMITI DE

LOSS,

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

S. R. I. COMITI DE

REX,

DOMINO

GVILIELMO AVGVSTO

S. R. I. COMITI DE

STVBENBERG,

DOMINO

THOMAE

S. R. I. LIBERO BARONI DE

FRITSCH,

SINGVLIS

SERENISSIMI CELSISSIMIQVE

SAXONIAE ELECTORIS

MINISTRIS STATVS

ET

CONSILIARIIS INTIMIS,

ALIISQVE SVMMIS DIGNITATIBVS

VIRIS MAXIME CONSPICVIS,

DOMINIS SVIS LONGE GRATIOSISSIMIS,

DISSERTATIONEM HANC QVALEMCVNQVE

DEVOTISSIMA MENTE

D. D. D.

IOANNES FRIDERICVS BVRSCHER.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-791626-p0006-5



DE

GAZA עזובה VEL DERELICTA FVTVRA,

AD ZEPHAN. II, 4.

DISSERTATIO PRIOR.

§. I.

Ratio inſtituti.

Illuſtrare mihi propoſui, Deo bene iuuante, ZEPHANIAE de *Gaza* praedictionem, cap. II. commate 4. his verbis expreſſam:

כי עזה עזובה תהיה

Quod vt ordine aliquo fiat, primo omnium de *auctore* vaticinii ac *tempore* publicationis, nec non de *connexione* eius cum antecedentibus et conſequentibus, *ſenſuque* verborum *grammatico*, quantum ſatis erit, exponam. Deinde, *Gazae* ipſius *ſitu*, *nomine* et *antiquitate vltima* vsque ad *Zephaniae* aetatem expoſitis, vt de euentu praedictionis quili-

bet recte iudicare possit, *veram vrbis historiae ideam* vsque ad tempora recentissima ex fide dignis omnium aetatum monumentis cum cura eruam, ac simul errores omnes falsasque opiniones, quibus eadem historia hactenus infecta fuit, refellam. Quo facto denique ostendi facile poterit *ratio impletionis* vaticinii nostri. Faxit Deus feliciter!

§. II.

Auctor et tempus praedictionis.

Igitur primo dicendum est de *auctore* vaticinii, ac de *tempore* publicationis eius, scilicet quantum satis sit, vt de impletione iudicare sine errore possis. Vtrumque vero discimus ex inscriptione libri cap. I. comm. 1., quae his verbis constat: *Verbum Iehouae, quod fuit* (vel factum est) *ad Zephaniam, filium Cuschi, filii Gedaliae, filii Amariae, filii Hiskiae; in diebus Iosiae, filii Amon, regis Iudae.* Pars prior huius inscriptionis indicat *auctorem* totius libelli, et hinc etiam vaticinii nostri; posterior *tempus* publicationis eius. Res postulat, vt paucis de vtroque dicam.

Auctor igitur vaticinii nostri est ZEPHANIA, graecis interpretibus, quos LXX. vocant, Σοφονιας dictus, vir diuino spiritu adflatus, et prophetae munere olim inter Iudaeos functus; qui floruit et scripsit regnante *Iosia*, filio Amon, rege Iudae, cuius historia exstat 2 Reg. XXII. sequ. et 2 Chron. XXXIV. sequ.

Hinc vero adparet: 1) Eum prophetam fuisse *regni Iudae*, vel duarum tribuum *Iuda* et *Beniamin*, quarum rex fuit *Iosias*. Nam *decem tribus* reliquae, a *Ierobeamo primo* ad *Hoseam* vsque regnum Israeliticum vel Ephraimiticum constituentes, iam ante annos complures sub *Iosiae* proauo *Hiskia* a *Salmanassare* in captiuitatem abductae, et nunc in diuersis *Assyriae* prouinciis dispersae erant; exceptis paucis relictis, in quos *Iosias* potestatem ex antiquo iure sibi vindicabat [a]), id quod olim iam fecerat *Hiskias* [b]). Loco abductorum autem, *Iosiae* aetate, terram Israeliticam vna cum decem tribuum reliquiis habitabant coloni illi noui, nuper ab *Assarhaddone* ex Assyriae prouinciis addu-

a) Vid. 2 Reg. XXIII, 15. seqq. 2 Chron. XXXIV, 6. 7. 21. 33. b) Vid. 2 Reg. XVIII, 4. 2 Chron. cap. XXX, 1. 5. seqq. cap. XXXI, 1. XXXV, 17. 18.

adducti, *Samaritanorum* plerumque nomine venientes [c]). II) Errare eos, qui Noſtrum munere prophetico functum eſſe ſtatuunt ab anno *Ioſiae* triceſimo vſque ad quintum *Ioiakimi*. Nam ſi hoc eſſet, cur *Ioiakimi* nomen tacendo praeteriret inſcriptio? Caeterum nec traditio vlla probabilis, nec ipſa libelli ratio confirmat, Noſtrum ſub *Ioiakimo* eorum, quae ſcripſit, quidquam publicaſſe. Contrarium potius ex ipſo libello probabile reddi poſſet, niſi argumentum ex inſcriptione petitum ſufficeret. III) *Zephania* cum tempore *Ioſiae* regis praedictiones ſuas publicauerit; ſequitur, factum id eſſe *paullo ante bellum Chaldaicum*, Palaeſtinae et orienti vniuerſo fatale. Nam paucis annis poſt *Ioſiae* mortem, ſub eiusdem filio *Ioiakimo*, *Nebucadnezar* res ſuas gerere coepit [d]). IV) Etſi non conſtat, quo tempore regni *Ioſiae* munere ſuo functus ſit Noſter, (*Ioſias* enim annos XXXI. regnauit;) tamen ſequitur, tempus muneris eius incidere fere in priores annos muneris Ieremiani. IEREMIAS enim anno *Ioſiae* XIII. in publicum prodire coepit, vt ex Ier. I, 2. coll. cap. XXV, 3. adparet. IOELEM circa idem tempus floruiſſe, alia occaſione ex argumento libelli eius probaui; et de HABAKVKO idem demonſtrari poſſet, ſi res poſtularet. Vixit et eodem tempore HVLDA, femina ſpiritu prophetico praedita [e]), et hinc Iudaei dicunt: „*Ieremiam prophetaſſe in vicis et plateis*, *Sophoniam in Synagogis*, *Huldam vero apud feminas* [f])." Verum haec, et alia, ad rem quia non pertinent, mitto [g]).

Non multum refert ſcire, quis genere vel dignitate inter Iudaeos fuerit ZEPHANIA. In inſcriptione cap. I, 1. ipſe genus ſuum ad HISKIAM quemdam refert. Is an ſit rex Iudae, *Achaſi* filius, *Manaſſis* pater, docti videant. Ego quidem alio forte tempore probabo, id nec incongruum eſſe, nec a veriſimili aberrare. Iam vero hoc ſolum monere debeo, prophetam noſtrum per genealogiam ſuam cap.

c) De his vid. 2 Reg. XVII, 24. ſeqq. Conf. Eſrae IV, 2. De *Aſſarhaddone*, Sennacheribi filio, conf. 2 Reg. XIX, 37. et Ieſ. XXXVII, 38.

d) Vid. Ierem. XXV, 1. 2 Reg. XXIV, 1. et 7. 2 Chron. XXXVI, 6. 7. Dan. I, 1. 2. Conf. HVMPHREY PRIDEAVX Connexio V. et N. T. Part. I. L. I. p. 78. ſeqq. edit. germ. Dreſd. 1726. 4.

e) Vid. de ea 2 Reg. XXII, 14. ſeqq. 2 Chron. XXXIV, 22. ſeqq.

f) Vid. Scholia CAMII Ebraei ap. DRVSIVM in Lection. in Sophon. c. I. verſ. 1.

g) Vid. de his b. CARPZOVIVS in Introduct. et qui Zephaniam ſcriptis illuſtrarunt.

I, 1. adductam satis distingui ab alio quodam ZEPHANIA, Sacerdote, filio *Maaseia*, qui ab vltimo rege duarum tribuum *Zedekia* bis ad *Ieremiam* ablegatus legitur Ierem. XXI, 1. cap: XXXVII, 3. cuius mentio quoque fit Ier. XXIX, 25. 29. fortasse etiam Ier. LII, 24. et 2 Reg. XXV, 18.

Ex hactenus dictis praecipue notandum est: *Vaticinium nostrum tempore Iosiae regis, paullo ante bellum Chaldaicum, esse publicatum;* etsi non constat, quo vere anno.

§. III.

Connexio eius cum anteced. et consequ.

Sequitur *Connexio* vaticinii nostri cum iis, quae antecedunt et consequuntur, ostendenda. Ea vero facile patebit, si rationem libri totius breuiter perpenderis. Totus ZEPHANIAE libellus contextus est instar continuae orationis, et continere videtur epitomen eorum omnium, quae vir θεοπνευστος forte diuersis muneris sui temporibus sub *Iosia* rege publice in terra Iudaica nunciauit. Nihilominus tamen diuidi commode potest in *partes duas*, quarum *altera* complectitur priora duo capita, tertiumque *altera*. Nam *capite primo* propheta praedicit genti suae res proxime futuras, nempe calamitatem a Chaldaeis imminentem, cum totali terrae ruina coniunctam. *Capite secundo* facit adplicationem eiusdem praedictionis, ac piorum caussa fata nonnullarum gentium exterarum simul praenunciat, regno populoque Dei infensarum. *Capite tertio* ad Hierosolymam eiusque gentem se conuertit, et praemissa graui vitiorum eius reprehensione, fata eiusdem praedicit vsque ad tempora remotissima.

Igitur vaticinium nostrum de *Gaza* עזובה *futura* est particula quaedam adplicationis illius, quam vir diuinus priori suo sermoni capite primo exhibito adiecit. Postquam scilicet *capite primo* integro Iudaeis calamitatem summam et totalem terrae ruinam imminentem praedixerat, *capite secundo* adplicatio sequitur I) *Impiorum* caussa, in terra Iudaica et Hierosolymis tum viuentium ac poenam praedictam euocantium, quos monet, vt in tempore resipiscant, v. 1. 2. II) *Piorum* caussa. Et hos quidem *primo* hortatur, vt pietati studere pergant, et hac ratione efficiant, vt fortasse occultentur eo tempore, quo

quo poena diuina ante praenunciata euentura sit. v. 3. *Deinde* solatii causſa iisdem reuelat decreta diuina de gentibus nonnullis exteris, et talibus quidem, quae hactenuset amultis inde temporibus odium ſuum inueteratum quam maxime effuderant in Deum verum eiusque terram, populum cultumque. v. 4. et ſeqq. Nempe Dei nomine piis Iudaeae incolis nunciat: Deum gentes iſtas, ſibi regnoque ſuo infenſas, ſenſim exciſurum eſſe; e contrario vero populum ipſius peculiarem, quem e numero gentium reliquarum omnium ſibi ſelegerit, non ſolum nunquam penitus interire, verum et exſilium eius tempore ſuo finiri debere, quo facto is omnem reliquam vtilitatem ex aduerſariis ſuis percepturus ſit. Atque hac ratione omnes aetatis illius pii iuſtique inter Iudaeos homines commonebantur: foedus a Deo cum populo ſuo factum nunquam periturum eſſe; promiſſis diuinis, *Abrahamo* eiusque ſemini datis, neminem fruſtra vel inaniter fidem tribuere; excidium regno Iudaico et Hieroſolymis denunciatum promiſſionibus illis nihil detrahere, neque earum euentum impedire debere; Deum inimicitias gentium contra ſe cultumque ſuum ac populum non ignorare, ſed iniuriam cuique ſuam reponere velle; denique Iehouam Deum Iſraelis omnium gentium ac terrarum eſſe dominum, a quo fata ſingularum omnesque in orbe res pendeant. Vaticinium tangit a) *Philiſtaeos*, v. 4. 5. 6. 7. b) *Moabitas* et *Ammonitas*, v. 8. 9. 10. 11. c) *Arabes Cuſchaeos*, v. 12. d) *Aſſyrios* eorumque metropolin. v. 13. 14. 15.

Mihi quidem res eſt tantum cum iis, quae v. 4 -- 7. *Philiſtaeis* praedicuntur. Propheta ſcilicet v. 4. quatuor vrbibus Philiſtaeorum primariis, quae tum temporis maxime florebant, fata futura praeſignificat; v. 5. Philiſtaeis eorumque terrae generaliter excidium denunciat, ac tandem v. 6. 7. terrae eiusdem ſtatum poſt excidium illud depingit. At quia rem omnem multis diſſertationibus abſoluere non poſſem; iam ſolum de his verbis diſputo: כי עזה עזובה תהיה i. e. *Nam Gaza derelicta erit*, vel fiet.

§. IV.

Senſus verborum vaticinii.

Quod attinet ad haec ipſa verba vaticinii noſtri, vix opus eſſet, vt de *ſenſu* eorum *grammatico* diſputarem, niſi verſio LXX. Interpre-

tum postularet aliquam vocis עזובה considerationem. Caeterum enim verba sunt ex notissimis, neque quod difficile sit quidquam in iis reperitur.

כי connexionem cum antecedentibus indicat, quam satis hactenus declaraui. עזה vero est nomen vrbis *Philistaeorum* principalis, prophetae tempore florentissimae et a multis inde seculis celeberrimae, de qua postea copiosius dicetur. De hac vrbe praedicitur, adhibita orationis figura, quam παρονομασιαν vocant h): eam fore עזובה, quae vox alibi semper *derelictam* vel *desertam* sonat, vt mox videbimus. *Aza Azuba erit*, vel fiet; id est, *pro forti, valente ac munita, erit in posterum derelicta.* Vocem עזובה vero significare, vrbem illam non semel, sed saepius, ab incolis derelictam, ipsumque eius locum, ciuibus excisis et aedibus dirutis, desertum et omni habitatore carentem fore; ipse euentus probauit, historia docente. Recte igitur interpretum plurimi vocem hanc ita expressérunt, vt sensum a *derelinquendo* peterent. IONATHAN in Targumo vertit: ארי עזה שביקא תהי i. e. *Gaza enim derelicta erit*, et eodem modo SYRVS in Polyglottis Anglicanis; quos sequuntur recentiorum tantum non omnes. XANTES PAGNINVS et cum eo BENED. ARIAS MONTANVS vertunt: *Gaza relicta erit.* Versio Tigurinorum, quae sub nomine FRANC. VATABLI circumfertur, nec non SEBAST. CASTALIO, EMAN. TREMELLIVS et FRANC. IVNIVS, SEB. SCHMIDT, IO. DRVSIVS in Lectionibus, et forte alii, habent: *Gaza derelicta erit.* Eodem modo b. LVTHERVS noster: *Gasa muss verlassen werden.* ANGLVS: *Gaza shall be forsaken.* BELGA: *Gaza sal verlaten wesen.*

Ab hoc sensu genuino vocis עזובה quodammodo recedit VVLGATA, quae vertit: *Gaza destructa erit;* quam sequitur *Lucas* OSIANDER, eiusdem ad mentem *b. Lutheri* corrector. Non negandum quidem, destructionis sensum voce hebraea simul comprehendi. *Destructio* enim vrbis cum *derelictione* eius saepe coniuncta est ita, vt altera alteram sequatur, quod et *Gazae* accidisse ex historia docebo. At vero nihilominus verum retineamus vocis עזובה sensum, quo *dereli-*

h) De hac figura v. SAL. GLASSIVS in Philol. Sacr. Lib. V. Tract. II. cap. 2. p. 1996. edit. Lipsi. 1713. 4. et rhetorum libri.

relictam notat. Historia enim docebit, euentum rerum talem fuisse, vt adpareat, vocem hanc non generaliter destructionem, sed derelictionem ac desertionem propriam, eamdemque saepius factam, (cum sine totali Gazae destructione, tum ea simul eueniente,) significare debuisse, et hinc ab auctore praedictionis consulto adhibitam esse.

§. V.

Continuatio.

Eadem de caussa reiicienda quoque est LXX. INTERPRETVM vaticinii nostri translatio: Γαζα διηρπασμενη ἐσται, i. e. *Gaza direpta erit*, quam secutus esse videtur ARABS in opere anglicano. Certe, direptionis significatus nec historiae satisfacit, nec voci hebraicae conuenit. Nam

I) Radix עזב saepius in codice sacro sub formis variis obuia, exceptis tribus quatuorue locis, in reliquis omnibus plus quam ducentis *relinquere*, *derelinquere* ac *deserere* denotat [i]), et ab ipsis LXX. plerumque eodem sensu accipitur. Sic v. c. Gen. II, 24. יעזוב το vertunt καταλειψει, et recte [k]). Gen. XLIV, 22. לעזוב et ועזב καταλιπειν et ἐαν δε καταλιπῃ. Hos. IV, 10. עזבו ἐγκατελιπον. Ios. XXII, 3. עזבתם ἐγκαταλελοιπατε. Iud. X, 10. et 1 Sam. XII, 10. עזבנו ἐγκατελιπομεν. Quibus locis, ne nimis copiosus sim, ex innumeris paucos addam, quos in notis citatos videas [l]). Non memini, LXX. alicubi *direptionis* significatum adhibuisse, nisi in loco nostro.

II) Ipsa vox עזובה hac forma quatuor adhuc in locis occurrit. Iesaiae LIV, 6. cap. LX, 15. c. LXII, 4. Ierem. IV, 29. Semper vero *derelictam* notat, atque hinc merito ab ipsis LXX. prioribus tribus *Iesaiae* locis per καταλελειμμενην vel ἐγκαταλελειμμενην vertitur, et *Ier.* IV, 29. כל־העיר עזובה πασα πολις ἐγκατελειφθη. Praeterea

i) Vid. IO. BVXTORF. Concord. bibl. hebr. v. עזב

k) Conf. Matth. XIX, 5. Marc. X, 7.

l) Conf. sis textum hebr. cum LXX. versione Gen. XXIV, 27. c. XXXIX, 13. Iud. II, 21. c. X, 13. Ruth II, 20. 2 Chron. XII, 1. 5. c. XIII, 11. c. XXI, 10. c. XXIV, 20. 1 Reg. XI, 33. Nehem. IX, 17. 19. 31. Psalm. XXXVIII, 11. XL, 13. IX, 11. XXII, 2. Iesai. I, 28. c. XLII, 16. c. XLIX, 14. LIV, 7. LVIII, 2. Ier. XVII, 13. etc.

terea eadem vox semel cum ה praefixo, Ies. VI, 12. nec non semel in statu constructo cum praefixo כ similitudinis, Ies. XVII, 9. et bis in plurali Ies. X, 14. c. XVII, 2. legitur. Nusquam vero aliter explicari potest, nec ab ipsis LXX. aliter vertitur, nisi eodem sensu adhibito. Taceo, quod et masculinum עזוב 2 Reg. IX, 8. c. XIV, 26. et 1 Reg. XXI, 21. non alio modo interpretantur.

Quaeritur ergo, cur solum in nostro loco aberrauerint a recta vocis interpretatione, sensumque plane inusitatum adhibuerint, a *diripiendo* petitum? Eius rei rationem coniectura adsequi probabili mihi videor. Quodsi enim verum est, versionem LXX. temporibus *Ptolemaei Philadelphi* concinnatam esse; factum est id ea aetate, qua *Gaza* admodum floruit, et post hominum tum viuentium memoriam nullam aliam experta fuerat iniuriam, nisi quam *Alexander Macedo* ei intulerat. Ostendam vero suo loco [m]), *Alexandrum M.* vrbem ciuibus multis priuasse, vxores eorum liberosque in seruitutem redegisse, et, colonia e finitimis in vrbem deducta, ea tamquam praesidio ad bellum esse vsum. Nec dubium est, vrbem tunc militibus diripiendam fuisse traditam; quoniam rex eam magno sui cum periculo, accepto vulnere, post mensium duorum obsidionem, vi ceperat. Tantum hoc falsum esse infra docebo, quod recentiorum plurimi statuunt, decepti auctoritate loci cuiusdam STRABONIS male intellecti: *Gazam* scilicet a *Macedone* penitus euersam et in sempiternum tumulum conuersam esse. *Alexander* igitur *Macedo* cum *Gazam* vere diripuisset, graecus *Zephaniae* interpres, vel si mauis LXX. ad id respexisse, vocemque διηρπασμενη propterea pro καταλελειμμενη adhibuisse videntur, ne vel Aegyptiis aliisque gentibus ipsorum translationem legentibus suspicionem mouerent contra veritatem praedictionis, vel Gazensium in se odium concitarent. *Gaza* enim ipsorum aetate denuo florebat, et post cladem ab *Alexandro M.* acceptam nouas vires collegerat.

§. VI.

Gazae Situs.

Nihil amplius obstat, quo minus ad ipsam realem vaticinii nostri illustrationem propius accedam. Res autem postulat, vt primo

m) Vid. infra §. XV.

omnium

omnium de *Gaza* generatim dicam, eiusque situm, nomen et antiquitatem vltimam paucis exponam.

GAZA vrbs fuit antiquissima, in sacris exterisque scriptoribus frequens, in extremitate *Palaestinae*, vbi cum *Aegypto* iungitur, et non procul a mari mediterraneo sita, vt ex *Iosuae* libri capite XV, 47. adparet; et olim fama sua inter splendidissimas *Asiae* ac validissimas vrbes insignem sibi locum comparauit. Exstat hodienum in *Palaestina* oppidum eius nominis exiguum, vulgo *Gazera* dictum, cuius originem et historiam infra declarabo. STRABO [n]), IOSEPHVS [o]) et ANTONINVS [p]) locum *Gazae* inter *Ascalonem* et *Raphiam* adsignant, ita vt hanc meridiem, illam boream versus post se habuerit. Atque in eo recentiores etiam ac hodierni scriptores consentiunt et geographi. *Distantia* vero eius ab his aliisue locis a variis varie determinatur. ANTONINVS Ascalone Gazam XVI. millia passuum, Gaza vero Raphiam XXII. M. P. numerat [q]). DIODORVS Gazam ab Azoto CCLXX. stadiorum interuallo distare scribit [r]), id est, XXXIV. fere millibus passuum, vel octo circiter milliaribus germanicis cum dimidio. At e recentioribus BREITENBACHIVS, qui Seculo XV. eas regiones peragrauit, Azoto Ascalonem sex milliaria germanica, Ascalone Gazam quinque, et hinc Azoto Gazam vndecim numerat [s]). Quantum a *Mari Mediterraneo* distet, nec hoc scriptores eodem modo definiunt. ARRIANVS viginti stadia scribit, adeoque duo millia passuum cum dimidio [t]); a quo longe recedit STRABO, septem tantum stadia admittens [u]). Ex recentioribus TVCHERVS, ciuis Norimbergensis, qui Seculo XV. ipse Palaestinam vidit, duo milliaria italica [x]), ROGERVS vnum milliare gallicum

n) STRABO Rerum Geograph. ex edit. *Amstelod.* 1707. c. n. Casaub. et alior. L. XVI. p. 1101. 1102.

o) IOSEPHVS in Antiquit. Iud.

p) ANTONINVS in Itinerario p. 9. col. 2. ap. BERTIVM in Theatro Geographiae veteris, Tomo poster. *Amstelod.* 1619. fol.

q) Vid. ANTONIN. l. c.

r) DIODORVS SICVLVS in Bibliotheca Histor. L. XIX. p. 723. edit. Laur. Rhodomani *Hanouiae* 1604. fol.

s) BERNHARD. A BREITENBACH in itinerario suo germanico p. 134. Exstat in libro, cui titulus: *Reisebuch des heiligen Landes*, Francof. ad Moen. 1609. fol.

t) ARRIANVS de expedit. Alexandri M. Histor. L. II. p. 150. edit. Nicol. Blancardi *Amstelod.* 1668. 8.

u) STRABO Rer. geogr. L. XVI. p. 1101. edit. cit.

x) IO. TVCHERVS in itinerario Terrae Sanctae p. 678. vid. *Reisebuch des heil. Landes*, Francof. ad Moen. 1609. fol.

cum magnum y), THEVENOTVS duo millia paſſuum z), alii triginta ſtadia a) accipiunt.

§. VII.

Gazae Nomen.

Gazae nomen verum eſt עַזָּה, nam ſic in codice ſacro ſcribitur, et ſignificat *valentem*, *validam*, *munitam*, in feminino b); quemadmodum עז maſcul. *validum*, *fortem*, *robore praeditum*, et ſubſtantiuum מעוז *robur*, nec non *arcem* ac *munimentum* c). Pronunciatur vero a nonnullis *Aſſa* vel *Azza*, ab aliis *Aza*, a reliquis et nunc fere ab omnibus *Gaza*. Diuerſitas haec orta eſt ex prima vocis littera ע, quam graeci ſcriptores in *Gamma* verterunt, romani ſic retinuerunt. ע vero et adhuc multi, in primis Iudaei, cum G. pronunciant. Hinc v. c. עמרה plerumque *Gomorra* vocatur. Inde *Aſiongaber* et *Gaſiongaber*, *Senaar* et *Singara*, *Phegor* et *Phaora*, *Segor* et *Zoara*, etc. d).

Nomen igitur ſortita eſt *Gaza* a *robore* ac *valore*, vertique poſſet per latinum nomen *Valentia*, et per graecum Ρωμη. Tale vero nomen *Gazam* inde ab antiquiſſimis temporibus et per multa ſecula iure meritoque habuiſſe, patet ex hiſtoria ſacra et extera. Tot enim vrbs haec obſidiones ſuſtinuit, quot vix alia vlla. Reſtitit item potentiſſimis hoſtibus, virtutisque laudem bellicae reliquis Palaeſtinae ac Syriae ciuitatibus plus vice ſimplici praeripuit. „Nam cum olim *Perſae* in „Syriam irrupiſſent, cunctis potentiae magnitudine attonitis, ſeque „ac vrbes ſuas vltro dedentibus, *ſoli Gazaei* reſiſtere auſi obſidionem „pertulere. Expeditione quoque *Alexandri*, (Magni, vel Macedo-„nis,) cum non modo vniuerſi deditionem feciſſent, ſed et *Tyrus* vi „capta atque in ſeruitutem redacta eſſet, *ſoli* (Gazaei) *e Syris* non „ceſſere, ſed ad omne diſcrimen parati nihil intentatum reliquere e).„ Confe-

y) EVG. ROGER Terre Sainte, *à Paris* 1664. 4. Liv. I. ch. 16. p. 185.

z) THEVENOT Voyages, Prem. Partie, à *Paris* 1689. 8. ch. 36. p. 568.

a) Vid. O. DAPPERI *Beſchreibung von Palaeſtina*, p. 179. b. *Amſterd.* 1681. fol.

b) Conf. BOCHARTVS Geographiae S. Part. II. L. II. c. 12. p. 824. edit. *Francof. ad M.* 1674. 4. HOTTINGER. Diſſ. de Geographia terrae Canaan p. 1124. in BLASII VGOLINI Theſauro Antiquitatum ſacr. Volum. VI. *Venetiis* 1746. fol. etc.

c) Conf loca S. S. in BVXTORFII Concord. bibl. hebr. ſub v. עוז indicata.

d) Conf. BOCHART. l c.

e) Vid. HENR. VALESII Excerpta ex Polybio de virtutibus et vitiis p. 1418. ſequ. in Polybii Hiſtor. edit. Iac. Gronovii, *Amſtelod.* 1670. 8. Tomo II.

Conferendi sunt scriptores, qui expeditionem *Alexandri M.* contra *Gazam* memoriae prodiderunt. Hi enim etiam de robore externo vel munitione eius satis testantur. ARRIANVS tradit: *Batim*, qui Persarum nomine vrbi praeerat, *fretum munitione oppidi, quippe quod vi capi non posset*, Alexandrum vrbe nequaquam recipere statuisse [f]). Et de eodem praefecto Persico CVRTIVS: eum, inquit, *modico praesidio muros ingentis operis* tuitum esse [g]). Vterque non parum operae *Alexandro* impendendum fuisse scribit vrbi capiendae. Addit ARRIANVS: Alexandrum statim atque ad vrbem peruenerit primo die castra eo loci posuisse, quo maxime commodum ad oppugnationem murum esse putauerit, ibique tormenta vel machinas bellicas constitui iussisse. Sed machinarum artifices iudicasse, *murum prae altitudine molis difficulter admodum vi capi posse*. etc. Atque ex his clarissime adparet, *Gazam* olim vere nomen et omen habuisse. Quodsi vero *Gazam*, quae *hodie* est, spectes; certe longe aliter res est. Haec tamen plerumque *Gazera* vocatur [h]).

§. VIII.

De Gazae nomine errores.

Risum mihi fere mouet POMPONIVS MELA, Gazae nomen e sermone persico deducens. „Caeterum, *inquit* [i]), in Palaestina est „ingens et munita admodum Gaza. *Sic Persae aerarium vocant; et „inde nomen est, quod, cum Cambyses armis Aegyptum peteret, huc belli „et opes et pecuniam intulerat.*„ Equidem non negauerim, *Persis* vocabulum *Gaza* significare *aerarium*, vel, vti CVRTIVS vult [k]), *pecuniam regiam;* neque mihi displicet eorum sententia, qui vocem *Magazin*, apud nos vsitatissimam, ex eadem lingua deducunt [l]). Quis

 vero

f) ARRIANVS de exped. Alex. M. Histor. L. II. p. 150.

g) Q. CVRTIVS de rebus gestis Alexandri M. L. IV. c. VI. p. 182. edit. *Lugdun. Bat.* 1696. 8. apud *Petrum van der Aa.*

h) Vid. ADRICHOMIVS in Theatro Terrae sanctae p. 134. a. *Colon. Agripp.* 1682. fol. Consentiunt auctores, qui post tempora expeditionum cruciatarum itineraria scripserunt.

i) POMPON. MELA de situ orbis L. I. c. XI. p. 22. edit. *Iac. Gronouii* Lugd. Bat. 1685. 8. et p. 14. edit. *Is. Vossii* Hag. Com. 1658. 4.

k) CVRTIVS de rebus gestis Alex. M. L. III. c. 13. p. 115.

l) Vid. DAPPER. *Beschreib. von Palaest.* p. 178. a.

vero noſtrum, qui codicem ſacrum vel ſemel percurrerit, nomen vrbis, quae MOSIS ac IOSVAE aetate iam exſtitit, e tempore CAMBYSIS Perſarum regis deriuare audeat? Hoc enim idem eſſet, ac ſi quis CONSTANTINOPOLEOS nomen e Seculo demum XIII., vel e temporibus expeditionum ſacrarum, quas *cruciatas* vocant, deducere vellet. Quare ſatis mirari non poſſum, recentiorum quemdam verbis MELAE ita deceptum eſſe, vt ſcribere potuerit: *Fortaſſe Gazam ita adpellatam eſſe ex theſauris Cambyſis*, etc. [m]) etſi veram ac genuinam etymologiam ſtatim praemiſerat.

Alio inepto modo et plane inconcinno STEPHANVS BYZANTINVS nomen *Aza*, quo Gazam *Syris* adpellari ſcribit, ab *Azone* Herculis filio deducit. „Γαζα, inquit, πολις — προ της Αιγυπτε, „ἐκληθη και Αζα, και μεχρι νυν Συροι Αζαν αὐτην καλεσιν, ἀπο Αζο„νος, τε παιδος Ηρακλεους.„ Nonnulli etiam, eodem teſte, *Gazae* nomen *a gaza Iouis ibi ſeruata* deriuarunt [n]). Patet vero ex his exemplis, vt ex aliis innumeris, quam parum fidei ſaepius ſcriptoribus profanis in rebus eiusmodi habenda ſit, quae notitiam temporum antiquiorum et linguarum requirunt.

§. IX.

Gazae plures.

Fuerunt et alia oppida, *Gazae* nomine olim inſignita, ſi credere ſcriptoribus fas eſt. ARRIANVS enim *Gazae Scytharum Aſiaticorum* vrbis meminit, quae eadem cum *Gaza Palaeſtinae* fata habuiſſe et ab *Alexandro M.* oppugnata eſſe fertur [o]). STRABO vero locum et regiam in *Media Atropatia* [p]), et STEPHANVS propugnaculum *Thraciae* quoddam [q]) hoc nomine adpellant. Sed quoniam nulla cum his mihi res eſt; non amplius de iis diſputo.

§. X.

m) DAPPER. l. c.

n) STEPHANVS BYZANT. περι πολεων, v. Gaza. Conf. *Programma* meum, quod in *Stephani Byzant.* de *Gaza* narrationem inquirit, editum Lipſiae 1764. 4.

o) ARRIANVS de expedit. Alex. M. L. IV. p. 241. ſeq.

p) STRABO Rer. Geogr. L. XI. p. 794.

q) STEPHAN. BYZANT. l. c.

§. X.

Vltima Gazae antiquitas, e solis litterarum sacrarum monumentis petenda.

Gazam Palaestinae fuisse vrbem antiquissimam, historia sacra docet. Prima eius mentio fit *Genes.* X, 19. et postea saepius. Vrbs haec a quo vel quando primam traxerit originem, hodie certo sciri nequit; nisi fortasse ex *Deuteron.* II, 23. colligi posse putes, eam iam ante *Philistaeorum* e *Caphtor* exitum et in *Palaestinam* aduentum ab AVVITIS fuisse conditam. *Israelitis* terram promissam ingredientibus, *Gaza* floruit ita, vt inter quinque *Philistaeorum* vrbes principales primum locum teneret, quem et posthac semper tueri videbatur. Prius ex IOSVAE libro cap. XIII, 3. patet. Idem locus probat, *Israelitas* a Deo iussos esse eam cum reliqua *Palaestina* expugnare; et *Ios.* XV, 47. docemur, eam tribui *Iudae* fuisse adsignatam. Accidit etiam post mortem IOSVAE, vt haec tribus *Gazam* cum terra ad eam pertinente bello caperet. *Iudicum* I, 18. Sed nescio, quo fato eamdem cum reliqua *Philistaea* postea denuo amiserit. Mansit enim sequenti aetate sub potestate PHILISTAEORVM. Iud. III, 3. coll. v. 1. et 4. Tempore IVDICVM, cum *Philistaei* iugum graue ac diuturnum *Israelitis* imposuissent, SIMSON, vindex horum libertatis, iniuriam ciuibus suis illatam vlciscens, rem quoque cum *Gaza* habuit ibidemque periit. *Iud.* XVI. SAMVELIS aetate inter quinque principales *Philistaeorum* vrbes secundo loco memoratur, 1 *Sam.* VI, 17. id quod tamen eius auctoritati nihil detrahere videtur. Postea, in bellis cum SAVLE, DAVIDE et sequentibus regibus, *Gaza* semper cum *Philistaeis* reliquis armorum societatem iniit. Floruit autem per omnia illa tempora inter *Philistaeorum* metropoles. ASSYRIIS in Syriam et Palaestinam irrumpentibus, quid *Gazae* acciderit, nescio. Sed imminente CHALDAEORVM aduentu, IEREMIAS Gazam in numerum vrbium ac gentium retulit *Nebucadnezari* eiusque imperio subiiciendarum, *Ier.* XXV, 20. eidemque cladem per *Chaldaeos* accipiendam praedixit. Cap. XLVII, 5. Eiusdem *Ieremiae* tempore, regnante *Iosia* rege Iudae, et hinc paullo ante bellum Chaldaicum, ZEPHANIA noster vaticinium suum contra *Gazam*, tum florentissimam, publicauit, quod mihi illustrandum sumsi. Paullo post hanc publicationem, anno *Iosiae* regis vltimo, vt videtur, eadem vrbs a PHARAONE

NECO

NECO Aegypti rege vi capta bellique iniuriam experta est; cuius rei causſam alio loco ad *Ierem.* XLVII, 1. expoſuiſſe mihi videor.

§. XI.

Hiſtoriae Gazenſis ratio.

Peruenimus nunc ad ea *Gazae* tempora, quorum hiſtoria lucem vaticinio noſtro praeferre debet. Nemo non concedet, hiſtoriam earum rerum, quae poſt vaticinium publicatum *Gazae* acciderint, ad verum praedictionis ſenſum euentumque cognoſcendum eſſe neceſſariam. Et hinc exſpectare lectorem puto, qua ratione hiſtoria ſim vſurus, vt haec omnia pro viribus oſtendam. At enimuero res eſt non facilis, quam praeſtare debeo. Tam parum enim hactenus vrbis illius hiſtoria exculta fuit, tot e contrario erroribus ſcatet, tamque parum integre et adcurate propoſita eſt in libris, e quibus vulgo addiſcitur vrbium locorumque Scr. S. notitia, vt de genuina praedictionis impletione perfecte iudicare nemo poſſit, qui fata vrbis ex libris conſuetis hauſerit. Igitur ante quam de euentu vel impletione vaticinii noſtri certum quid pronunciare poſſimus, obſeruationes nonnullas praemitti opus eſt, quibus vniuerſa *Gazae* hiſtoria, hactenus vel variis erroribus falſisque opinionibus infecta, vel confuſe ac minus diſtincte, vel denique nimis imperfecte exhibita, quantum fieri poſſit perfectior reddatur, et ab erroribus mundata in ordinem redigatur. Facient huc propoſitiones ſequentes, quas, prout res poſtulabit, vel ex fontibus genuinis illuſtrabo, vel argumentis inde deſumtis firmabo.

§. XII.

I. Gaza vetus, in ſacris litteris obuia, floruit vſque ad tempora Maccabaeorum, et cum iis adhuc rem habuit.

Etſi enim, vt ex Ier. XLVII, 1. patet, paullo poſt publicationem vaticinii noſtri a PHARAONE NECO Aegypti rege cladem accepit, et poſtea, CHALDAEIS totum orientem bello vaſtantibus, multo maiora mala pertulit, vt e praedictione *Ieremiae* cap. XXV, 20. coll. c. XLVII, 5. colligere poſſumus; tamen mox nouas vires collegit, ita vt tempore ſequenti, PERSIS in Syriam et Palaeſtinam irrumpentibus, cunctisque vrbibus ſtatim deditionem facientibus, *Gaza* ſola hoſtibus

ſtibus potentiſſimis reſiſteret obſidionemque perferret [r]). Captam vero PERSAE operibus ac munitionibus ſeptam praeſidioque firmatam ſeruabant, ita vt ALEXANDRO M. in has regiones veniente, cum vrbes reliquae omnes vltro ſe dedidiſſent, hoſtis potentia perterritae, *Tyrus* autem vi capta et in ſeruitutem redacta eſſet, *Gaza* iterum ſola reſiſtere et menſium duorum obſidionem perferre poſſet [s]). Sunt, qui eam tum temporis penitus vaſtatam, et locum eius deſertum neglectumque putant [t]). Oſtendam vero §. XV., ſententiam hanc nullo niti teſtimonio fide digno, ALEXANDRVM M. autem non niſi vxores liberosque ciuium interfectorum in ſeruitutem redegiſſe, coloniaque ex finitimis in vrbem deducta, ea tamquam praeſidio ad bellum eſſe vſum.

Mortuo ALEXANDRO, modo huic, modo illi ſucceſſorum eius paruit; et primo quidem, ſi LAOMEDONTEM *Mytilenaeum* praetereas, PTOLOMAEO [u]), deinde ANTIGONO, qui eam expugnauit reſiſtentem [x]). ANTIGONI filio DEMETRIO a PTOLOMAEO ad *Gazam* victo, ea cum Palaeſtina, Phoenicia et Coeleſyria in manus PTOLOMAEI venit [y]). Gazenſibus enim portas DEMETRIO aperientibus, PTOLOMAEI milites, irruptione intra muros facta, vrbem capiunt ac domino ſuo ſubiiciunt [z]). Sed paullo poſt PTOLOMAEVS in his regionibus aduerſa fortuna pugnans, vulſis *Gazae* et aliarum vrbium munimentis, in Aegyptum rediit; quo facto illam ANTIGONVS cum tota Palaeſtina, Phoenicia ac Coeleſyria denuo cepit [a]). Anno ſequente, qui ex CALVISII mente 309us ante C. N. fuit [b]), ALEXANDRI ducibus, *Caſſandro*, *Lyſimacho*, *Ptolomaeo*

r) Vid. VALESII Excerpta ex Polybio, loco §. VII. alleg. et deſcripto.

s) Vid. eadem VALESII Excerpta. Conf. DIODOR. SIC. Biblioth. Hiſtor. L. XVII. p. 526. ARRIAN. de exped. Alex. M. L. II. p. 150. ſeqq. CVRTIVS de reb. geſtis Alex. M. L. IV. c. VI. p. 182. ſeqq.

t) ADRICHOMIVS, HARTNACCIVS, HEIDMANNVS, DAPPERVS, LIGHTFOOTVS etc. locis infra indicandis.

u) DIODOR. SIC. Biblioth. Hiſt. L. XVIII. PLVTARCHVS in Demetrio. IOSEPHVS in Antiquit. Iud. APPIANVS in Syriacis. PAVSANIAS in Atticis. Conf. PRIDEAVX Connex. P. I. L. VIII. p. m. 664.

x) DIODOR. SICVL. L. XIX. Conf. PRIDEAVX l. c. p. 678.

y) Conf. PRIDEAVX l. c. p. 680.

z) DIODOR. SIC. L. XIX. p. 723.

a) DIODOR. SIC. L. XIX. Conf. PRIDEAVX l. c. p. 684.

b) Vid. CALVISIVS in Chronologia ad annum 309. ante C. N.

maeo et *Antigono*, foedus ineuntibus, quo Asia ANTIGONO cessit, *Gaza* quoque eius sub imperio confirmata mansit. At vero paucis annis post, ANTIGONO contra SELEVCVM bellandi causſa properante, PTOLOMAEVS, opportunitate temporis vsus, vrbem cum tota prouincia, quam ante tenuerat, tertium sibi subiecit [c]). Anno quarto Olymp. 119. V. C. 453. [d]) vel ex CALVISIO ante C. N. 299. quo res euenit, ANTIGONO ingenti proelio in Phrygia victo et interemto, idem PTOLOMAEVS, SOTER cognominatus, qui primus post ALEXANDRVM M. in *Aegypto* regnauit, vi pactionis factae cum *Cassandro*, *Lysimacho* et *Seleuco* [e]), praeter Aegyptum Libyamque, Arabiam Coelesyriam et Palaestinam, et hinc *Gazam* quoque retinuit. Ea de causſa THEOCRITO etiam inter regiones PTOLOMAEO subiectas recensentur Phoenicia, Arabia, Syria [f]). Atque ex eo tempore *Gaza* cum his prouinciis sub potestate PTOLOMAEORVM mansit per seculum integrum [g]). ANTIOCHVS MAGNVS Syriae rex, Seleucidarum regnum auctурus, Coelesyriam, Phoeniciam ac Palaestinam inuasit, *Gazae* quoque minitans. Sed PTOLOMAEVS PHILOPATOR, auitam ditionem defensurus, cum validis copiis contra hostem mouens, inter *Gazam* et Raphiam ANTIOCHVM acie victum, amissis recuperatis, intra veteres regni Seleucidarum fines compulit, pacem cum eo firmans, cum regno eum pellere posset [h]). Postea, vbi *Philopatori* filius PTOLOMAEVS EPIPHANES adhuc pupillus succeſſit [i]), idem *Antiochus M.*, vt loquitur IVSTINVS [k]), Phoenicem caeterasque Syriae quidem, sed iuris Aegyptiaci ciuitates denuo inuasit. Tunc legatos ad eum Senatus Romanorum misit, qui denunciarent ei, abstineret a regno pupilli [l]).

Gazen-

c) DIODOR. SIC. L. XX. APPIAN. in Syr. Conf. PRIDEAVX l. c. p. 703.

d) Conf. HENR. NORISIVS in Anno et epochis Syromacedonum *Lipſ.* 1696. 4. Diſſ. V. c. 2. p. 477.

e) DIODOR. SIC. L. XX. PLVTARCH. in Demetrio. APPIAN. in Syr. POLYB. Hiſtor. L. V. Conf. PRIDEAVX l. c. p. 704.

f) THEOCRITVS Idyll. XVII. ἐγκωμιον εις Πτολεμαιον.

g) Vsque ad annum V. C. 556. teste NORISIO l. c. p. 478.

h) POLYBIVS Hiſtor. L. V. et ex eo PRIDEAVX Connex. P. II. L. II. p. 125. seqq. p. 130. seqq. NORISIVS p. 477. Conf. CALVISIVS in Chronol. ad an. 212. ante C. N.

i) CALVIS. ad an. 202. ante C. N.

k) IVSTINVS Hiſt. Epitom. L. XXX. c. 3.

l) Conf. PRIDEAVX Connex. P. II. L. II. p. 148. sequ.

Gazenſes in fide regis Aegyptii manentes, ab ANTIOCHO obſeſſi et expugnati, ingentem cladem acceperunt, vrbe a militibus direpta et vaſtata [m]). ANTIOCHVS enim minas Romanorum ſpernens, non ſolum *Gazam*, ſed et reliquas omnes Palaeſtinae ac Syriae ciuitates, quae *Ptolomaei* erant, ſuae fecit poteſtatis [n]). Factum hoc eſt ex ſententia CALVISII anno 196. ante C. N. [o]) Quamuis autem poſtea ANTIOCHVS M., bellum cum Romanis meditans, pacem cum *Ptolomaeo Epiphane* faceret, data ei in vxorem filia *Cleopatra*, nuptiisque apud *Raphiam* [p]) regia pompa celebratis, eidemque Phoeniciam, Palaeſtinam, Coeleſyriam et Samariam cum Iudaea dotis nomine promitteret [q]); tamen promiſſis haud ſtetit, ſed contemta *Epiphanis* adoleſcentia omnia ipſe retinuit [r]). Igitur inde ab hoc tempore *Gaza* regno SELEVCIDARVM adiecta ſub *Syriae* regibus manſit vſque ad tempora *Ionathae Maccabaei;* et ex ſententia NORISII [s]) cum caeteris Phoeniciae et Palaeſtinae vrbibus aeram Seleucidarum adhibuit.

§. XIII.

Continuatio.

Antiocho Entheo a *Tryphone* in regnum Syriae reducto, *Demetrio*que acie victo ac fugato [t]); IONATHAS Maccabaeus, amicitia cum *Antiocho* facta, Syriam et Palaeſtinam cum copiis peruagans, *Demetrii* vrbes *Antiocho* ſubiecturus [u]), rem quoque cum *Gaza* habuit. Gazenſes aduentu eius percepto, *Demetrium* deſerere et *Antiocho* ſe ſubmittere recuſantes, portas ei occludebant, adeo eum irritantes, vt vrbem oppugnaret et regionem infeſtaret. Vrbe enim ab vna parte exerci-

m) Excerpta VALESII ex Polybio. Conf. PRIDEAVX l. c. p. 151. NORISIVS l. c.

n) Vid. PRIDEAVX Connex. P. II. L. II. p. 151. ex IOSEPHO, IVSTINO, LIVIO et POLYBIO.

o) CALVISIVS in Chronol. ad h. a.

p) Oppidum Aegypto conterminum, inter Gazam et Rhinocoruram ſitum.

q) IOSEPHVS in Antiquit. Iud. et ex eo PRIDEAVX l. c. p. 161. et NORISIVS p. 478. Conf. CALVISIVS ad an. 190. a. C. N.

r) Conf. NORISIVS l. c.

s) NORISIVS de anno et epochis Syromaced. Diſſ. V. c. 2. p. 478.

t) Vid. 1. *Maccab.* XI, 39. 40. 54. 55. Conf. CALVISIVS ad ann. 142. ante C. N.

u) Vid. IOSEPHVS Antiquit. Iud. L. XIII. c. V. n. 5. p. 646. T. I. Opp. edit. HAVERC. Conf. 1. Maccab. XI, 57. ſeqq.

exercitus obsessa, reliqui excursionibus factis terram vastabant et incendebant [x]). Tunc Gazenses, *Demetrii* de aduentu auxilioque desperantes, missis ad IONATHAM nunciis, et amicitiam et armorum societatem ei promittunt. Is vero, pacto cum illis amicitiae foedere, obsides acceptos Hierosolyma mittit [y]). *Ionatha* et *Antiocho Entheo* a *Tryphone* occisis [z]), cum hic ipse sibi Asiae coronam vsurpatorio nomine imposuisset [a]); *Ionathae* frater SIMON, Iudaeorum dux factus, *Demetrio* se iunxit, qui Iudaeis libertatem et immunitatem ab omnibus operibus, vel liberam rempublicam, concessit [b]). SIMON igitur, Iudaeorum princeps ac pontifex, *Seleucidarum* iugo excusso, vicinos populos Iudaeorum hostes armis aggressus, *Gazam* quoque obsidens, eamdem ad deditionem compulit [c]). Vrbe autem capta, ciuibus ea conditione pepercit, vt omnes vrbe excederent, quam Iudaeis incolendam dedit [d]). „Hanc victoriam, inquit NORISIVS [e]), tanti fe„cerunt Iudaei, vt illam in sacros fastos relatam annua sollemnitate „recolerent; siquidem in ipsorum calendario die 23. mensis Iiar, qui „partim Aprili ac partim Maio correspondet, legitur: *Sollemnitas, Si„mon capta Gaza mundat arcem.*„ Postea *Antiochus Sedetes* reddi sibi cupiens omnes extra Iudaeam vrbes, vtpote *Seleucidarum* regno ereptas, repulsam a SIMONE tulit [f]). Verum *Simone* anno Seleucidarum 177. [g]) *Ptolemaei* generi sui insidiis sublato, ANTIOCHVS SEDETES Syriae rex, a *Ptolemaeo* euocatus, cum validis copiis Iudaeam ingressus, HYRCANVM Simonis filium *Hierosolymis* obsedit, diuque oppugnatam vrbem ad deditionem compulit, iussis ciuibus moenia deiicere ac vectigalia vrbium extra Iudaeam regio fisco cedere [h]). Igitur

x) IOSEPHVS l. c. p. 647. Conf. 1. *Maccab.* XI, 61.

y) IOSEPH. p. 647. Conf. 1. *Maccab.* XI, 62.

z) 1. *Maccab.* XII, 39. 40. 48. cap. XIII, 23. 31.

a) 1. *Macc.* XIII, 32.

b) Ibid. v. 34. seqq. Conf. PRIDEAVX Connex. P. II. L. IV. p. 349. CALVISIVS ad annum 141. a. C. N.

c) 1 *Maccab.* XIII, 43. seqq. Rem cum NORISIO in Anno et Epochis Syromaced. Diss. V. p. 491. de Gaza nostra intelligo.

d) 1 *Macc.* XIII, 47. 48.

e) NORISIVS l. c.

f) 1 *Maccab.* XV, 27. seqq.

g) 1 *Macc.* XVI, 14. Conf. CALVISIVS ad ann. 133. a. C. N.

h) Vid. ex *Iosepho* HENR. NORISIVS l. c. p. 492. et PRIDEAVX Connex. P. II. L. V. p. 367. seqq.

Igitur Iudaeorum viribus attritis, *Gazenſes* ante a *Simone* expulſi vndique ſuam in patriam redierunt, ſedes priſtinas occupantes, et vetera ſemper odia contra Iudaeos exercentes. Sic rem NORISIVS aeſtimat, hiſtoriam 1 Maccab. XIII, 43. ſeqq. narratam de *Gaza* noſtra intelligens i).

Non neſcio, PRIDEAVXIVM credere, nomen *Gazae* ibi vitio ſcribentium pro *Gazara* poſitum eſſe k). Prouocat autem ad 1 *Macc.* XIV, 7. et 34. vbi legitur, *Simonem* GAZARAM ſub poteſtate ſua tenuiſſe, et loco των πολεμιων prius ibi habitantium eam Iudaeis incolendam dediſſe; cum quibus IOSEPHVM Ant. XIII. 11. confert, et STRABONEM, cui Geogr. L. XVI. eadem vrbs *Gadaris* adpelletur, non procul ab *Azoto* diſtans, et qui eam a Iudaeis occupatam ſcribat. Addit, praeter 1 Macc. XIII, 43. ſeqq. nullibi legi, SIMONEM *Gazam* tenuiſſe, de *Gazara* vero tale quid reperiri; quo nomine venire putat oppidum *Gezer*, ſaepius in V. T. obuium. Angli doctiſſimi ſententia tantam veritatis ſpeciem prae ſe ferre videtur, vt quid contradici poſſit vix videam, niſi forte dixeris, SIMONEM *Gazam* pariter et *Gazaram* cepiſſe, ex vtraque hoſtes expuliſſe et vtramque *Iudaeis* incolendam dediſſe, qui eius mos fuiſſe videtur. IOSEPHI de *Gaza* a *Simone* capta ſilentium pondus ea in re maximum habere, conſentio; et cum idem de *Gazara* referat, quod de *Gaza* praetermittit, ſine dubio 1 Macc. XIII, 43. nomen *Gaza* pro *Gazara* ſcribentium vitio poſitum videtur, niſi forte reſponderi poſſe putes: IOSEPHVM, librum *Maccabaeorum* ſecutum, et collatione 1 Macc. XIII, 43. cum v. 54. et cum cap. XIV, 7. 34. c. XV, 28. 35. deceptum, rem duplicem pro vna accepiſſe, et de *Gazara* ſola narraſſe, quae de *Gaza* etiam narrare debuiſſet. *Gazam* enim 1 Macc. XIII, 43. locum tueri poſſe, ſi modo critica velit, propterea cenſeo, quia SIMON etiam 1 Macc. XII, 33. res in *Philiſtaea* geſſiſſe, et frater eius IONATHAS cum *Gaza* et reliquis *Philiſtaeorum* oppidis rem habuiſſe 1 Macc. XI, 60. 61. 62. c. X, 84. ſeqq. legitur. Primum et ſecundum *Maccabaeorum* librum IOSEPHVM aetate ſuperare, non ſolum ex *epiſtola ad*

i) NORISIVS Diſſ. V. p. 491. 492.

k) PRIDEAVX Connex. P. II. L. IV. p. 350.

Hebraeos cap. XI, 35. patet, sed et ex IOSEPHO ipso, quippe qui omne vtriusque argumentum Archaeologiae suae inseruit. Primus liber videtur primitus esse scriptus idiomate ebraeo, vel chaldaeo-syro. Saltem ORIGENES hebraicum eius titulum refert, et HIERONYMVS se hebraicum reperisse scribit. Nos vero hodie textu ebraeo caremus et graeco vtimur, ex quo latina versio iam ante HIERONYMVM facta esse creditur [l]). Vtraque tamen versio, graeca et latina, prout hodie exstat et hactenus edita est, 1 Macc. XIII, 43. legit GAZAE nomen; quare critica disquisitione opus esset ad hanc lectionem remouendam.

Vtcunque res se habeat, certum tamen est, *Gazam* in sacris litteris obuiam adhuc tempore MACCABAEORVM floruisse et cum iis rem habuisse. Nam 1 Macc. XI, 61. 62. de *Gaza* sermonem esse, negare nemo potest; id quod etiam IOSEPHI testimonium confirmat.

§. XIV.

II. Gaza vetus, in sacris litteris obuia, ab Alexandro demum Iannaeo, Ioannis Hyrcani filio, Simonis nepote, Iudaeorum rege, penitus euersa ac deleta est, circa annum 93. ante C. N.

ALEXANDER enim IANNAEVS indignatus Gazensibus, quod *Ptolomaei Lathyri* exercitum acciuissent eique vrbem tradidissent, *Gazam* annua obsidione oppugnatam *Lysimachi* cuiusdam proditione cepit, ac ciuibus omnibus interfectis et diruta insuper vrbe reuersus est Hierosolyma [m]); ex quo tempore vastata et sine habitatore mansit, vsque dum POMPEIVS M. in has regiones venit. (Conf. §. XVI.) Sed rem paullo copiosius narrabo.

Anno ante C. N. 102. [n]) ALEXANDER IANNAEVS rerum in Iudaea potiebatur, exemplo fratris ARISTOBVLI titulum *regis* vsurpans.

l) Vid. REMY CEILLIER Hist. gener. des Auteurs sacrés et ecclesiastiques T. I. chap. XVI. Art. 2. §. 2. p. 324. à *Paris* 1729. 4.

m) Vid. IOSEPHVS Antiquit. Iud. L. XIII. c. 13. p. 670. T. I. Opp. edit. HAVERC. Idem de Bello Iud. L. I. c. 4. §. 2. p. 60. T. II. Opp. et ex eo PRIDEAVX Connex. P. II. L. VI. p. 465. seq. NORISIVS Diss. V. p. 492. Conf. CALVISIVS in Chronol. ad a. 93. ante C. N.

n) Conf. CALVISIVS ad h. a.

pans. Regnum *Syriae* tum continuis turbis bellisque inteſtinis debilitabant ANTIOCHVS GRYPVS et ANTIOCHVS CYZICENVS, fratres; vterque iis de rebus, quae in Iudaea vel vicinia eius gerebantur, parum ſollicitus. ALEXANDER IANNAEVS, rebus ita comparatis, opportunitatem fines ſuos dilatandi adeptus, anno 99. ante C. N. *Ptolemaidem*, quae cum *Gaza* aliisque vrbibus Syrorum iugum excuſſerat o), obſidione cingit. Obſeſſi opem PTOLOMAEI LATHYRI implorant, qui, paucis annis ante, matris CLEOPATRAE aſtutia, regno eiectus, in *Cypro* inſula regnabat, matre interea cum filio altero *Ptolomaeo Alexandro* Aegyptiis imperante. Sed paullo poſt conſilium mutant, ne maiora ex auxilio LATHYRI mala ſibi eueniant metuentes, et nuncios alios ei mittunt, qui aduentum eius auertant. Ille vero, ne fruſtra tantos belli adparatus feciſſet, anno 98. cum triginta millium exercitu *Phoeniciam* intrat, et propius admouens vrbem auxilium obſeſſis offert. Qui cum verbum ei non reſpondeant, ipſe quo ſe vertat neſciens vltionem parat. Interea *Gazenſes*, ab ALEXANDRI milite infeſtati, eum per nuncios ad ſe vocant et vrbem ei tradunt. ALEXANDER autem, re audita, hoſtem talem obſeruare coactus, obſidionem *Ptolemaidis* ſoluit, et LATHYRVM vincere aſtutia tentat. Igitur pacem et amicitiam ab eo petit, offertque 400. argenti talenta pro *Dora* et *Caeſarea*, ſi ditioni Iudaeorum adiiciantur; clam vero legatis in Aegyptum miſſis, CLEOPATRAM in filium concitat. Qua fraude animaduerſa, LATHYRVS hoſtili animo *Iudaeam* ingrediens omnia longe lateque vaſtat. ALEXANDER obuiam ei cum exercitu procedens anno 97. in fugam conuertitur, occiſis triginta Iudaeorum millibus. LATHYRVS victoria crudeliter vtens, quidquid puerorum et mulierum in pagis reperit, mactari, concidi in fruſta et in cibum militibus adponi iubet, quo terribilior Iudaeis eſſet. Anno ſequente CLEOPATRA, inito cum ALEXANDRO foedere, LATHYRVM Iudaea eiicit. Is vero *Aegyptum* cum exercitu petit, matre abſente eam recuperare tentans; fu-

o) Vid. PRIDEAVX Connex. P. II. L. VI. p. 459.

gatus in *Palaestinam* redit et *Gazae* hybernat. Postea ipse in *Cyprum* reuertitur, mater vero in *Aegyptum* p).

ALEXANDER IANNAEVS, Iudaea et Palaestina a *Ptolomaeo Lathyro* et matre eius *Cleopatra* relictis, GAZENSIBVS indignatus, quod exercitum *Lathyri* acciuissent vrbemque ei tradidissent, GAZAM annua obsidione oppugnat agrumque vastat. GAZA vero tum, *Seleucidarum* iugo excusso, libertate vtebatur et ex suis legibus viuebat q). APOLLODOTVS Gazensium dux vrbem fortiter defendit, et cum duobus peregrinorum millibus ac decem domesticorum noctu castra Iudaeorum inuadens nonnihil damni eis infert. *Iudaei* enim durante nocte adortos se a LATHYRO putabant. Verum orta die vbi rei veritatem intelligunt, in vnum sese conglobant, factoque in *Gazenses* impetu circiter mille ex iis interficiunt. GAZENSES, nec ob rei alicuius inopiam, nec ob caesorum multitudinem cedere coacti, quodvis potius perferre cupiebant, quam in hostium potestatem redigi. Eis etiam animos et alacritatem addiderat ARETAS Arabum rex, quem auxilio sibi venturum sperabant, quod ita promiserat. Repente vero spes et fortuna plane eos decipiunt, rerumque facies vno die immutatur. Accidit enim, vt APOLLODOTVS dux vrbis, quod gratia apud ciues valeret, fratri LYSIMACHO exosus, ab hoc perimeretur. Quo facto LYSIMACHVS, Iudaici regis fauorem sibi conciliare studens, collecto milite vrbem ei tradit. ALEXANDER vindictae cupidus, mentem tamen dissimulans, placide se gerit ingrediens. Verum postea milites suos in ciues immittit. Illi igitur per vrbem dispersi, quos inueniunt, interficiunt. GAZENSES autem dum animo se destitutos haud praebent, sed in se irruentibus mascule resistunt; *Iudaeorum* non pauciores pereunt. Nonnulli vero ciuium ipsi domos incendunt, ne ex his spolia supererent, quibus potiretur hostis. Alii liberos vxoresque manibus suis interficiunt, ne in seruitutem abducerentur. Tandem ciuibus omnibus crudeliter trucidatis, etiam iis, qui vrbem prodiderant, (*Alexander* enim nec pepercit

p) Vid. haec omnia ex IOSEPHO apud PRIDEAVX. l. c. p. 460. seqq. Conf. CALVISIVS in Chronol. ad annos indicatos.

q) Conf. PRIDEAVX l. c. p. 459.

cit etiam deditionis auctoribus,) supererant adhuc quingenti Senatores, vel consiliarii vrbis, qui in fanum Apollinis confugerant: accidit enim, vt, dum vrbs caperetur, senatus haberetur. Sed ne his quidem ALEXANDER pepercit, sed interfectis omnibus, τὴν πόλιν αὐτὰς ἐπικατασκάψας eam solo aequauit, ipse vero *Hierosolyma* revertit [r]). Factum hoc est, ex computatione CALVISII, anno 93. ante Christum [s]).

§. XV.

III. Falso a recentiorum nonnullis Gaza haec vetus per Alexandrum Macedonem funditus deleta creditur; nec locus Strabonis sententiam hanc firmare potest.

Sunt in ea sententia nonnulli, fortasse non pauci, ALEXANDRVM M. vel MACEDONEM Gazam funditus deleuisse, et, vt ipsis eorum verbis vtar, *in sempiternum tumulum vertisse* [t]). Existimant autem, vrbem ab ALEXANDRO M. euersam diu sub ruinis suis sepultam mansisse, antequam *noua Gaza* condita sit in vicinia illius, non eodem prorsus solo. *Nouam* hanc vrbem, denuo ab ALEXANDRO IANNAEO deletam, postea quasi de cineribus suis iterum emersisse. *Hodiernam* vero *Gazam* vel *Gazeram* pro residuo quodam *Gazae posterioris* habere videntur. Sine dubio sententiam hanc, non vno errore mixtam, amplexi sunt ad explicandum locum ACTORVM APOSTOL. cap. VIII. comm. 26. Putant enim, ibi sermonem esse de *Gaza* ab ALEXANDRO MACEDONE vastata et in sempiternum tumulum versa. Ad me quidem quod attinet, de loco isto paullo inferius disputabo. Iam vero solum vastatio *Gazae* totalis per ALEXANDRVM MACEDONEM facta refutanda est.

Niti-

r) Vid. IOSEPHVS Antiquit. Iud. L. XIII. c 13. p. 670. Conf. de Bello Iud. L. I. c. 4. §. 2. p. 60. edit. HAVERC.

s) Conf. CALVISIVS ad h. a.

t) ADRICHOMIVS in Theatro terrae sanctae p. 134. a. DAPPERVS *Beschreib. von Palaest.* p. 179. a. HARTNACCIVS *Bibliscb. Geogr.* p. 162. *Norimb.* 1688. 4. HEIDMANNVS in Palaestina s. Terra sancta c. V. §. 46. p. 94. *Wolfenb.* 1689. 4. LIGHTFOOTVS in Centuria chorograph. praecipue ad. s. Matthaeum p. 885. ap. *Vgolin.* in Thes. Ant. Sacr. Vol. V. *Venetiis* 1746. fol. etc.

Nititur ea loco quodam STRABONIS, partim male intellecto, partim vero interpolato; qui probare certe non potest id, quod cum fide reliquorum auctorum omnium pugnaret. Exstat, vbi de *Philistaeorum* oppidis agitur, et his verbis constat: Εἶθ' ὁ των Γαζαιων λιμην πλησιον· ὑπερκειται δε και ἡ πολις ἐν ἑπτα σταδιοις, ἐνδοξος ποτε γενομενη κατεσπασμενη δε ὑπο Αλεξανδρου, και μενουσα ἐρημος. „*Postea* „(post Ascalonem) *est Gazaeorum portus, et paullo supra ad septem sta-* „*dia vrbs, quae olim illustris fuit, ab Alexandro autem diruta, et manens* „*deserta* u).„ De PORTV GAZAEORVM inferius dicetur. (§. XXVI.) Sequentia verba de *Gaza* ipsa, quod vocatur πολις ἐνδοξος ποτε γενομενη, quadrant in aetatem STRABONIS. *Gaza* enim vrbs illustris ac celebris fuerat vsque ad excidium suum, factum anno 93. ante C. N. per ALEXANDRVM IANNAEVM, Iudaeorum regem. (§. XII. — XIV.) STRABO vero dum scripsit, paullo post Christum natum, (floruit enim sub *Augusto* et *Tiberio*, maxime circa annum Seculi primi XXV.) *nouam Gazam* a POMPEIO M. et GABINIO restitutam (§. XVI.) in prima aetate vidit. Certe tum *Gaza* haec *noua* longe adhuc aberat a splendore illo, quo *antiquior* vrbs olim fulserat omniumque in se oculos conuerterat. Dicere ergo iure STRABO suo tempore poterat: *Gazam olim illustrem fuisse vrbem.*

Quod vero addit: κατεσπασμενη δε ὑπο Αλεξανδρου, *Gazam illam*, olim illustrem, *ab Alexandro dirutam esse*, certe non probat, ALEXANDRVM hunc esse MACEDONEM illum, MAGNI cognomine insignitum. Loquitur enim STRABO de ALEXANDRO quodam, quem non designat; forte qu'a audiuerat, euersorem *Gazae* veteris ALEXANDRI nomine vsum esse, attamen nescivit, quis ille fuerit, an *Macedo*, an *Iudaeus*, an alius? Consulto igitur ALEXANDRVM suum non designasse videtur. Certe ALEXANDER IANNAEVS parum cognitus ei fuit. Hoc autem sciuisse videtur, vastationem *Gazae* totalem paullo ante suam aetatem contigisse; vnde facile iudicauit, non ALEXANDRVM MACEDONEM vrbem diruisse. Nisi haec solutio placet, sed si in ea sententia persistimus, STRABONEM de *Alexandro Macedone* loqui; necesse est, vt vel verbum κατεσπασμενη non

u) STRABO Rer. Geogr. L. XVI. p. 1101. seq.

non de totali, sed qualicunque vastatione accipiamus, simulque supponamus, STRABONEM veram et vniuersalem *Gazae* euersionem, factam per ALEXANDRVM IANNAEVM, plane ignorasse, vel vt credamus, STRABONEM contra omnem fidem historicam scripsisse ex ignorantia. Vidimus enim, §§. XII. XIII. *Gazam* ab ALEXANDRO M. expugnatam ex eo tempore continua annorum serie floruisse, et munitam admodum fuisse, vsque ad aetatem MACCABAEORVM, remque habuisse cum ALEXANDRI M. successoribus, *Syriae* et *Aegypti* regibus, nec non ipsis cum MACCABAEIS. Hinc fides ARRIANO et CVRTIO habenda est, cum quibus consentit DIODORVS, qui testantur, *Alexandrum M.* vrbem magno cum periculo sui, accepto vulnere, post mensium duorum obsidionem, vi cepisse [x]), vastationis nullius, nisi quae ex machinis moenibus adplicatis prouenerit, mentionem facientes, expressisque verbis scribunt: ALEXANDRVM, post magnam stragem ciuium, vxoribus eorum ac liberis in seruitutem redactis, *coloniaque ex finitimis in vrbem deducta, ea tanquam praesidio ad bellum esse vsum* [y]).

Restant vltima STRABONIS verba examinanda: και μενσα ἐρημος, e quibus male locus *Act.* VIII, 26. explicatur. Quomodo STRABO suo tempore dicere hoc potuit, *Gaza noua* iam condita et in dies magis crescente? Num quaeso ita de *Gaza* loqui potuit, ac si ipsius aetate fere nulla fuisset? Vel si ex sententia CASAVBONI accipiamus, vocem ἐρημος solum designare *Gazam* longe minus quam ante frequentatam [z]); num STRABO praeuidit, eam talem mansuram esse? Certe, si praeuidit, pessimum vatem egit. Nonne vero *Gaza*, quae tempore STRABONIS erat, breui annorum interuallo, nempe inde a *Pompeii M.* et *Auli Gabinii* in Palaestina commoratione, tam valde creuerat, vt quilibet tunc sperare potius, quam desperare potuisset de maiore eius frequentatione futura? Nonne POMPONIVS MELA

x) ARRIANVS de expedit. Alex. M. L. II. p. 150. seqq. CVRTIVS de rebus gestis Alex. M. L. IV. c. 6. p. 182. seqq. Conf. DIODORVS SICVLVS Biblioth. hist. L. XVII. p. 526. et PLVTARCHVS in Alexandro.

y) ARRIANVS l. c. p. 154.

z) CASAVBONVS in notis ad h. l. Strabonis, n. 6. p. 1101. edit. *Amstelod.* 1707.

MELA [a]), qui sub *Tiberio* et *Claudio* floruit, paucis post STRABONEM annis, GAZAM suae aetatis *ingentem et munitam admodum* vocat? Nonne nummi supersunt, iam anno 46. ante C. N. a *Gazensibus* cusi, iure αὐτονομιας a *Pompeio M.* acceptae [b])? Certe igitur, nisi STRABONEM summae status *Palaestinae* ignorationis accusare velis, verba haec: και μεγεσα ἐξημος, suppositа credas oportet. Perspexerunt id iam dudum XYLANDER et PALMERIVS [c]). Ille enim verba plane non agnoscit, hic autem eadem suspicatur esse glossema alicuius, ex *Act.* VIII, 26. ad marginem STRABONIS notatum, posteaque textui illatum.

§. XVI.

IV. Gaza noua, in locum prioris quae successit, auspiciis Pompeii M. et A. Gabinii instaurata est, et iam anno V. C. 706. ante C. N. 46. speciem oppidi non incelebris habuit.

Testatur IOSEPHVS, scriptor in his rebus fide dignissimus, POMPEIVM M., Hierosolymis expugnatis et Iudaeorum gente intra veteres terminos coercita, *Gazam* aliaque *Palaestinae* oppida euersa, Iudaeis ablata, indigenis vero reddita libertateque donata, vel suis legibus viuere permissa, instaurari iussisse, ac *Syriae*, abs se in prouinciam P. R. redactae, contribuisse et addixisse [d]). Factum hoc est anno V. C. 691. *Cicerone* Cos. [e]) vel anno 61. ante C. N. HENRICVS autem NORISIVS argumentis firmissimis probauit, *aeram Gazensium*, qua in nummis suis vsi sint, incipere anno V. C. 693. [f]) vel ante C. N. 59. Ex quo colligitur, statim post factam a POMPEIO M. constitutionem et autonomiam *Gazae* restaurandae concessam, qui inde oriundi

a) POMPON. MELA de Situ orbis L. I. c. XI. p. 22. edit. *Gronou.* et p. 14. edit. *Voss.*

b) Vid. nummus ap. IO. VAILLANT. in Numism. Imperat. Augustar. et Caesarum p. 266. 267.

c) Vid. IAC. PALMERIVS in notis ad h. l. Strabonis, p. 1102. n. 1.

d) IOSEPHVS de Bello Iud. L. I. c. 7. §. 7. p. 69.

e) Conf. NORISIVS in Anno et epochis Syromaced. Diss. V. p. 492.

f) NORIS. l. c. Diss. V. c. 3. p. 484. seqq. Conf. EZECH. SPANHEMII Epistola ad HADR. RELANDVM, in huius Palaestina, L. III. v. *Gaza*, p. 763. 764. ap. VGOLIN. in Thes. Ant. sacr. Vol. VI.

oriundi fuerint, auitos penates repetere coepisse; et cum *Gaza* post biennium, nouis incolis eo confluentibus, aedibus restauratis, templis restitutis et curia ordinata, speciem vrbis resumsisset, ciues tum primum nouam a reparata patria epocham instituisse g).

Porro IOSEPHVS tradit, AVLVM GABINIVM, qui anno V. C. 698. ante C. N. 54. *Syriae* Proconsul fuit, in quascunque inciderit vrbes dirutas, restaurari eas iussisse, atque hoc pacto instauratas esse Samariam, Azotum, *Gazam* quoque, et alias non paucas. „Dumque homines, addit, GABINII mandatis parent; accidit tum, vt „ea oppida tuto incolerentur, post quam diu deserta fuerant h).„ Patet exinde, *Gazam* nouam GABINII cura et mandato plus incrementi cepisse.

Quod vero iam anno V. C. 706. vel ante C. N. 46. speciem oppidi non incelebris habuerit, testes sunt *nummi* anno isto a *Gazensibus* cusi, quorum vnum exhibet IOANNES VAILLANTVS, cum inscriptione singulari: ΔΗΜΟΥ ΓΑΖΑΕΩΝ ΙΕΡΑΣ ΑΣ. L. ΙΓ. i. e. *Populi Gazensium Sacrae Inuiolabilis anno XIII.* scilicet aerae vrbis i).

§. XVII.

V. Gaza haec noua vel secunda prioribus post Christum Seculis floruit.

Paullo ante *Christi* aduentum salutarem, teste IOSEPHO k), *Augustus* Aegypto potitus, post mortem Antonii HERODIS M. ditionem auicturus, ei praeter alias vrbes *Gazam* quoque dedit. Post mortem *Herodis* idem AVGVSTVS Caesar *Gazam* et reliquas vrbes, quae IOSEPHO ἑλληνίδες vocantur, *Syriae* prouinciae denuo adiunxit, nec ARCHELAO subdidit l). POMPONIVS MELA, sub *Tiberio* et *Claudio*

g) Conf. NORISIVS l. c. p. 492.

h) IOSEPHVS Ant. Iud. L. XIV. c. V. §. 3. p. 691. 692.

i) Vid. IO. VAILLANT. in Numismat. Imperatorum, Augustarum et Caesarum, *Amstelod.* 1700. fol. p. 266. 267. Exhibetur in hoc nummo caput Iouis, et obseruat VAILLANTVS: „Hic nummus singularem nobis praebet *Gazae* „vrbis inscriptionem, cum *Sacrae et Inviolabilis* praerogatiua, in Augustaeis haud memorata.„

k) Vid. IOSEPHVS Ant. Iud. L. XV. c. 7. §. 3. p. 761. Consentit de Bello Iud. L. I. c. 20. §. 3. p. 104.

l) IOSEPHVS Ant. Iud. L. XVII. c. XI. §. 4. p. 862. 863.

dio qui vixit: „*Caeterum*, inquit, *in Palaestina est ingens et munita ad-*„*modum Gaza* m).„ Tempore belli Iudaeorum cum Romanis, paullo ante *Hierosolymorum* euersionem, Iudaei *Gazam* infestantes magnam ei intulerunt cladem n). Sed mox nouas vires collegit. Nam ex eodem et sequentibus duobus seculis non pauci hodie supersunt *nummi, a Gazensibus cusi*, iure libertatis, ipsis a Romanis per POMPEIVM M. concessae o), et fortasse ab Imperatoribus confirmatae; in quibus Imperatorum et Caesarum, nonnullarum etiam Imperatricum effigies conspiciuntur. Quos cum alii iam descriptos dederint viri, in hoc scientiae genere longe me superiores p); non nisi catalogum eorum reddam, quo velut in tabula lectorum oculis subiiciantur.

§. XVIII.

1. ΓΑΖΑ L. ΡΑΒ. *Gaza anno* 132. aerae suae, i. e. anno Christi 73. Nummus *Titi Vespasiani*, cum *Astarte* stante, dextra caput *Osiridis*, sinistra hastam tenente q).
2. Alius *Titi* nummus, ex *Tristano* a *Norisio* adductus, cum capite Iouis et epigraphe: ΖΕΥΣ ΚΡΙΓΑΓΕΝΗΣ r).
3. ΓΑΖΑ Γ. ΕΠΙ Βqρ. *Gaza anno* 3. nouae scilicet aerae Hadriani, *cum anno* 192. aerae suae, i. e. A. C. 133. Nummus *Hadriani*, cum *Hercule*, dextra clauae innixo s).
4. ΓΑΖΑ ΕΙΩ Δ. ΕΠΙ. Γqρ. *Gaza Io, anno* 4. nouae aerae Hadriani, *cum anno* 193. aerae suae, i. e. A. C. 134. Nummus eiusdem *Hadriani*, cum duabus mulieribus dextras iungentibus, quarum sinisterior tutulata laeuâ cornucopiae gerit, i. e. *Ione* et *Genio* vrbis t).

5.

m) POMPON. MELA de Situ orbis L. I. c. XI p. 22. edit. *Gronou* et p. 14. edit. *Voss.*

n) IOSEPHVS de Bello Iud. L. II. c. 18. §. 1. p. 197.

o) Conf. NORISIVS Diss. V. p. 492.

p) Vid IO. VAILLANT. in Numismar. Imper. August. et Caesarum, a populis Rom. ditionis graece loquentibus ex omni modulo percussis, *Amstel.* 1700. fol. Conf. de nonnullis HENR. NORISIVS in Anno et epochis Syromacedonum, in vetustis vrbium Syriae nummis, praesertim Mediceis, expositis. *Lipsi* 1696. 4. nec non CAR. PATINVS in Nummis aereis Impp. Augg. et Caesarum, etc.

q) VAILLANT. p. 21. et p. 267.

r) NORISIVS p. 495.

s) VAILLANT. p. 33. et p. 267.

t) VAILL. ll. cc. NORIS. p. 493.

5. ΓΑΖΑ ΜΑΡΝΑ Ε. ΕΠΙ ΔqΡ. *Gaza Marna anno* 5. aerae nouae Hadriani, *cum anno* 194. aerae vrbis, i. e. A. C. 135. Nummus *Hadriani*, cum *Diana* et *Apolline*, in templo diſtylo ſtantibus [u]).

6. ΓΑΖΑ ΒC. *Gaza anno* 202. aerae ſuae, i. e. A. C. 143. Nummus *Antonini Pii*, cum *Hercule* ſtante, dextra clauam, ſiniſtra ſpolia leonis tenente [x]).

7. ΓΑΖΑ ΓC. *Gaza anno* 203. i. e. A. C. 144. Nummus eiusdem *Antonini Pii*, cum *Cybele*, ſ. Capite velato et turrito [y]).

8. ΓΑΖΑ ΖC. *Gaza anno* 207. i. e. A. C. 148. Nummus eiusdem typi [z]).

9. ΓΑΖΑ ΑIC. *Gaza anno* 211. i. e. A. C. 152. Nummus *Antonini Pii*, cum *Hercule*, vt n. 6. [a])

10. Alius *eiusdem anni et imperatoris* nummus, cum muliere turrita ſtante, dextra pateram tenente [b]).

11. ΓΑΖΑ ϛIC. *Gaza anno* 216. i. e. A. C. 157. Nummus eiusdem Imp., cum *Fortuna*, d, temonem, ſ. cornucopiae tenente [c]).

12. ΓΑΖΑ ΗIC. *Gaza anno* 218. i. e. A. C. 159. Nummus eiusdem cum n. 7. typi [d]).

13. ΓΑΖΑ ΑΚC. *Gaza anno* 221. i. e. A. C. 162. Nummus *M. Aurelii*, cum capite *Herculis*, infra claua [e]).

14. ΓΑΖΑ ΔΚC. *Gaza anno* 224. i. e. A. C. 165. Nummus *M. Aurelii*, eiusdem cum n. 13. typi [f]).

15. Alius *eiusdem anni et Imperatoris* nummus, cum muliere ſtolata, ſtante, d. haſtam, ſin. cornucopiae, ad pedes taurum habente [g]).

16. ΓΑΖΑ ΔΚC. *Gaza anno* 224. i. e. A. C. 165. Mulier ſtans cum calatho, d. haſtam, ſin. cornucopiae, ad pedes bouem habens. Pars anterior capita *M. Aurelii* et *L. Veri* aduerſa exhibet [h]).

u) VAILLANT. et NORIS. ll. cc.
x) VAILLANT. p. 41. et p. 267.
y) Id. ll. cc.
z) Id. p. 41. et p. 268.
a) Id. p. 42. et p. 268.
b) Id. p. 42.
c) Id. l. c.
d) Id. p. 42. et p. 268.
e) Id. p. 268.
f) Id. p. 50.
g) Id. l. c.
h) Id. p. 63.

17. ΓΑΖΑ ΖΚϹ. *Gaza anno* 227. i. e. A. C. 168. Nummus *M. Aurelii*, cum duabus figuris muliebribus turritis, dextras iungentibus, quarum prior *Ionem* significat, posterior modium in capite et cornucopiae gerens *Genium* vrbis i).

18. ΓΑΖΑ ΗΚϹ. *Gaza anno* 228. i. e. A. C. 169. Nummus *Faustinae*, M. Aurelii vxoris, cum *Apolline* et *Diana*, stantibus cum attributis in templo distylo k).

19. ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ ΛΟΥΚΙΛΛΑ. *Faustinae et Lucillae capita* adversa. ΓΑΖΑ ΗΚϹ. *Gaza anno* 228. vel A. C. 169. cum *Diana* venatrice. Nummus hic duas Augustas, matrem ac filiam, sistit. *Lucilla* enim, *M. Aurelii* et *Faustinae* filia, *L. Vero* nupserat l).

20. ΛΟΥ... ΛΛ.... ΦΑΥϹΤΙΝΑ. Alius nummus *Lucillae* et *Faustinae* imagines exhibens, *Vaillanto* omissus et a *Norisio* adductus. ΓΑΖΑ ΘΚϹ. *Gaza anno* 229. i. e. A. C. 170. cum *Diana* venatrice m).

21. *Capita M. Aurelii et L. Veri* aduersa. ΓΑΖΑ ΘΚϹ. *Gaza anno* 229. vel A. C. 170. cum muliere tutulata, stante, d. hastam, sin. cornucopiae, ad pedes caput tauri habente n).

22. ΓΑΖΑ ΛϹ. *Gaza anno* 230. i. e. A. C. 171. Nummus *M. Aurelii* solius, *L. Vero* mortuo, *Martem* simul exhibens nudum et galeatum, stantem, d. pateram super aram, sin. hastam tenentem o).

23. ΓΑΖΑ ΕΙΩ ΗΜϹ. *Gaza Io, anno* 248. i. e. A. C. 189. Nummus *Commodi*, cum duabus mulieribus, dextras iungentibus, *Ione* et *Genio* vrbis p).

24. ΓΑΖΑ ΕΙΩ ΗΝϹ. *Gaza Io, anno* 258. i. e. A. C. 199. Nummus *Caracallae*, post quam *Albino* in Galliis victo et occiso, tribuniciam potestatem cum *Augusti* titulo accepit ante m. Aprilem V. C. 951. Exhibet simul *Dianam* et *Apollinem*, cum attributis, in templo distylo stantes q).

25.

i) Id. p. 50. et p. 268.
k) Id. p. 59.
l) Id. p. 268.
m) NORISIVS p. 502.
n) VAILLANT. p. 50. et p. 268.
o) VAILLANT. p. 50. et p. 269.
p) Idem p. 68. et p. 269.
q) Id. p. 99. et p. 269.

25. ΓΑΖΑ ΕΙΩ ΘΝC. *Gaza Io, anno* 259. i. e. A. C. 200. Nummus eiusdem *Caracallae*, vbi cum patre *Seuero* ad bellum Parthicum properans in Syriam venit, anno V. C. 952. *Io* et *Genius* vrbis dextras iungunt [r]).

26. ΦΟΥΛΟΥΙΑΝ. ΠΑΑΥΤΙΑΑΑΝ. CEB. *Fuluiam Plautillam Augustam* cum imagine exhibet. ΓΑΖΑ ΔΞC. *Gaza anno* 264. i. e. A. C. 205. cum *Apolline* et *Diana* in templo distylo stantibus. Gazenses *Caracallae* sponsam *Plautillam* hoc nummo exhibent cum anno aerae suae 264, ex quo aerae huius initium recte a *Norisio* ad autumnum anni V. C. 693. adsignatur, cum ex hoc matrimonio altius illud retrahi nequeat [s]).

27. ΓΑΖΑ ΠC. *Gaza anno* 280. i. e. A. C. 221. Nummus *Elagabali*, qui pectore tenus ab aquila alis expansis portatur [t]).

Erunt fortasse, qui, ante quam rem cautius perpenderint, hunc *nummorum Gazensium* catalogum inutilem esse iudicabunt. Sed consulto eum adieci, non historiae caussa solum, cuius veram ideam exhibere promisi, verum etiam propterea, quod ex eo simul patet miser *Gazensium* status ratione religionis cultusque diuini eo ipso tempore, quo christiana religio totum fere terrarum orbem illustrauit.

§. XIX.

Igitur ex nummis adductis, et forte aliis pluribus mihi ignotis, (non enim omnes huius generis libros ac thesauros euolui,) clarissime patet, *Gazam* seculis tribus prioribus admodum floruisse, et sub Caesarum romanorum imperio suis legibus vixisse, simul vero gentium superstitioni admodum fuisse deditam. Non negandum quidem, religionem christianam in ea sectatores omni tempore nactam esse, etiamsi fidem nullam adhibueris DOROTHEO Tyri episcopo, narranti: PHILEMONEM, ad quem PAVLLVS epistolam scripsit, fuisse *Gazae* episcopum [u]). Nihilominus tamen non solum ex nummis, sed

r) Id. ll. cc.
s) VAILLANT. p. 114. et p. 269. NORISIVS p. 486.
t) VAILLANT. p. 126. et p. 269.
u) Vid. RELAND. Palaestinae L. III. v. *Gaza* p. 762. apud VGOLIN.

sed ex aliis etiam historiae monumentis adparet, doctrinam salutarem nunquam ibi multum profeciſſe, ſed ſemper profanum deorum cultum praeualuiſſe.

Seculo IV. V. et VI. Gaza *Epiſcopos chriſtianos* habuit, fortaſſe primum a CONSTANTINO M. conſtitutos, quorum nonnulli in actis Conciliorum et ſcriptoribus eccleſiaſticis nominantur x). Seculo IV. ASCLEPAS vel ASCLEPIVS occurrit, qui Concilio Nicaeno anno 325. et Sardicenſi anno 347. ſubſcripſit y). Is Arianis exoſus, ab his ſede ſua pulſus, et QVINTIANVS ſuffectus eſt. Sed Concilium Sardicenſe, QVINTIANO reiecto, ASCLEPAM reſtituit z). Poſt hunc legitur IRENION, qui anno 363. acta Concilii Antiocheni ſubſcripſit a). Seculo V. duo memorantur: PORPHYRIVS, in Concilio Dioſpolitano, anno 415. habito; et NATIRAS, qui condemnationi Neſtorii in Concilio Epheſino anno 431., nec non Concilio Chalcedonenſi, anno 451. contra Eutychianos habito, interfuit. Seculo VI. CYRILLVS Concilio Conſtantinopolitano, et MARCIANVS Hieroſolymitano anno 536. habito ſubſcripſerunt b).

Nunquam vero ſub his epiſcopis chriſtiana religio tantas vires *Gazae* cepit, vt ſuperſtitionem paganam euertere potuiſſet, cuius ſemper vrbs fuit tenaciſſima. IVLIANVS Imperator, APOSTATA dictus, cum deorum cultum vbiuis reuocare ſtuderet; *Gazenſium* tantus erat in chriſtianos furor, vt et ſenes virginesque occiderent, et corporibus eorum diſſectis hordeoque repletis, ea porcis exponerent c). Eodem tempore Gazenſes CONSTANTIAE, oppido ad mare mediterraneum ſito, vbi olim *Maiuma* vel portus *Gazae* fuerat, cuius cives nuper nomen Chriſto dederant, litem mouebant, IVLIANO iudice ſedente; ſed ea de re poſtea. (§. XXVI.) Circa initium Seculi

x) Vid. RELAND. l. c. p. 760. ſequ.

y) Vid loca de eo ap. RELAND. l. c.

z) Vid. THEODORITVS Hiſt. Eccl. L. II. c. 8. p. 79. SOZOMENVS Hiſt. Eccl. L. III. c. 8. p. 102 c. 10. p. 108. edit. GVIL. READING Catabrig. 1720. fol.

a) De hoc vid. SOCRATES Hiſt. Eccl. L. III. c. 25. p. 208. SOZOMENVS H. E. L. VI. c. 4. p. 223. Conf. etiam RELAND. l. c.

b) Conf. de his omnibus RELANDVS l. c. Add. SIBERVS de Gaza eiusque epiſcopis ad Act. VIII, 26. *Lipſ.* 1715. 4.

c) Vid. *Chronic. Paſchale.* ſ. *Alexandrin.* ad annum 361. Conf. RELAND. Palaeſt. L. III. v. *Aſcalon*, p. 557. 558.

culi V., tempore PORPHYRII episcopi, octo primaria templa diis sacrata fuisse *Gazae*, testis est MARCVS DIACONVS in vita Porphyrii [d]). Idem refert, hunc episcopum *Constantinopolin* profectum legem ab ARCADIO Imp. de claudendis fanis Gazensibus impetrasse. Quod cum factum esset, HILARIO Gazam misso, HIERONYMVS eo tempore florens scribebat: „*Marnas Gazae luget inclusus, et euersio-*„*nem templi ingiter pertimescit* [e])." Et alio loco: „*Ingrediatur seruus*„*eius Gazam, et Marnas corruat* [f])." Post triennium PORPHYRIVS iterum ad ARCADIVM reuersus legem de *Marnae* templo euertendo obtinuit, cuius incendium MARCVS DIACONVS describit, additque: in area *Marnii* destructi, iussu Imperatoris, eumdem episcopum templum sacris christianis dicatum et de nomine EVDOXIAE Augustae adpellatum exstrui curasse. Quare tunc HIERONYMVS scripsit: „Serapion Alexandriae et *Marnae templum Gazae in ecclesias Domini sur*„*rexerunt* [g])." De MARNAE vero et MARNII nomine cultuque copiosius alio loco dicemus.

His temporibus *Gazam* non incelebrem fuisse, testatur HIERONYMVS, qui Palaestinam ipse vidit et circa annum 420. obiit. Is enim expressis verbis scribit: „*Est vsque hodie insignis ciuitas Palaesti-*„*nae* [h])." Denique circa initium Seculi VI. *Gazae* mentionem facit tamquam florentis STEPHANVS BYZANTINVS [i]), cuius narrationem, varia correctione dignam, alio tempore iam diiudicauimus, in Programmate anno 1764. edito.

§. XX.

VI. Gaza haec secunda Seculi VII. initio adhuc exstitit, sed sub Saracenis interiit funditusque periit.

Qui de rebus *Saracenorum* scripserunt, testantur, eos anno aerae christianae 634. duce AMRO (Omaro) *Gazam* obsidione oppugnatam

d) Vid. locum descriptum apud RELAND. Palaest. L. III. v. *Gaza*, p. 757. 758.

e) HIERONYMVS in epist. ad Laetam.

f) Idem in vita Hilar.

g) Idem in Comment. in Ies. XVII.

h) HIERONYMVS in Onomastico vrbium et locorum Scr. S. p. 195. 196. ap. VGOLIN. Thes. Ant. Sacr. Vol. V.

i) STEPHANVS BYZANT. de vrbibus, v. *Gaza*.

tam vi cepisse [k]). Erat eo tempore sub potestate HERACLII Imp. Nam post diuisionem imperii romani semper cum oriente Graecis Imperatoribus, *Constantinopoli* sedem habentibus, subiecta fuerat. Venit autem in manus SARACENORVM, cum hi duce OMARO totam Palaestinam et reliquas Asiae prouincias HERACLIO auferrent. Ex hoc tempore nihil de *Gaza* memoriae proditum inuenire potui. Seculo autem XII. temporibus expeditionum cruciatarum, habitatoribus carens et plane diruta reperta est, vt αὐτόπται testantur. Eius enim rudera qui vidit, WILLERMVS, eodem Seculo TYRI in Phoenicia Archiepiscopus, ita: „*Fuit autem*, inquit, *vrbs antiqua Philistaeo-*„*rum*, —— *cuius etiam hodie vetustae nobilitatis in nobilibus aedificiis* „*multa exstant argumenta. Iacuit autem multis temporibus deserta, ita vt* „*nec vno incoleretur habitatore*, quousque Dominus Balduinus etc. [l])„ Alio loco refert: BALDVINVM III Hierosolymorum regem, quo Saracenos Ascalonenses coercere facilius posset, praeter alia oppida, *Gazam* quoque *dirutam et habitatoribus carentem* restaurare coepisse. „*Fuerat autem*, addit [m]), *eadem Gaza ciuitas antiquissima, vna de quin-*„*que vrbibus Philistiim, aedificiis praeclara, cuius antiquae nobilitatis in ec-*„*clesiis et amplis domibus, licet dirutis, in marmore et magnis lapidibus, in* „*multitudine cisternarum, puteorum quoque aquarum viuentium, multa et* „*grandia exstabant argumenta.*„ Atque in his omnibus cum WILLERMO alii etiam consentiunt, in primis IACOBVS DE VITRIACO, iisdem temporibus Episcopus Acconensis, post Romae Cardinalis, vbi Seculo XIII. diem obiit [n]).

Inde vero colligo, *Gazam* sub SARACENIS euanuisse; quo tempore, et qua ratione, nescio. Si tamen id, quod sentio, dicere debeo, sensim ac pedetentim factum esse mihi videtur, partim per BELLA a *Saracenis* inter se et cum graecis imperatoribus gesta, partim per TERRAEMOTVS, quos non vna vice orientem, in primis *Syriam*

k) Vid. WILLERM. TYR. Hist. L. I. c. I. p. 629. et ex ELMACINI Hist. Saracen. L. I. DAPPER. *Beschreib. von Palaestina* p. 179. b.

l) WILLERM. TYR. Histor. L. XX. c. 21. p. 987. *inter gesta Dei per Francos* T. I. Hanouiae 1611. fol.

m) Idem L. XVII. c. 12. p. 917.

n) IAC. DE VITRIACO in Historia Hierosol. abbreuiata L. I. c. 40. p. 1070. *in Gestis Dei per Francos* T. I.

riam et *Palaestinam*, temporibus *Saracenorum* vastasse, scriptores docent. Circa annum enim 742. Hegirae 125. ELMACINO teste totus fere terrarum orbis contremuit, et vna nocte sexcentis vrbibus oppidisque euersis, homines ac bestiae sine numero perierunt *). Paucis annis post, nempe A. C. 746., ANASTASIVS refert ingentem in Palaestina terraemotum fuisse, vt ex eo CALVISIVS notat. Idem ex THEOPHANE memorat, A. C. 749. Syriam iterum vehementer concussam, multas vrbes penitus conuulsas, quasdam sedibus motas esse o).

§. XXI.

VII. Gaza haec, quam secundam voco, videtur alio loco condita fuisse, quam prima, seu vetus.

Verisimile hoc mihi videtur, sacras litteras et scriptores exteros inter se conferenti. *Gazam secundam* loco elatiore sitam fuisse, ARRIANVS docet. Etsi enim is de *Gaza* ab ALEXANDRO M. expugnata loquitur, tamen situm eius describens *Gazam* sui temporis, vel quae Seculo II. fuit, sibi ante oculos posuit, quia descriptio eius quadrat in *Gazam*, quae Seculo XII. in ruinis sepulta reperta fuit, id est in *secundam*, Arriani aetate florentem. Scribit autem: Μεγαλη δε πολις ἡ Γαζα ἠν, και ἐπι χωματος ὑψηλου ὡκιτο p). Consentiunt ii, qui Seculo XII. et post rudera eius viderunt. WILLERMVS enim TYRIVS vbi de *Gazae* ruinis: „*Fuerat*, inquit q), *sita in colle aliquantulum edito*, magnum satis et diffusum intra muros continens ambitum.„ etc. Et IACOBVS DE VITRIACO narrat: *Balduinum* regem *nouam Gazam* aedificari iussisse *in parte collis aliquantulum editi, supra quem*, inquit r), *praedicta ciuitas* (Gaza tum deserta) *situm habuerat*.

At vero *Gazam veterem* vel *primam* quod attinet in sacris litteris obuiam, haec in planitie sita fuisse videtur, nullo loco edito; et nisi

*) Vid. ELMACIN. Hist. Saracen. L. I. c. 17.

o) Vid. CALVISIVS in Chronol. ad annos 746. et 749.

p) ARRIANVS de exped. Alex. M. L. II. p. 150.

q) WILLERMVS TYR. Histor. L. XVII. c. 12. p. 917.

r) IAC DE VITRIACO Hist. Hierosol. abbreu. L. I. c. 40. p. 1070.

me omnia fallunt, verisimile id fieri puto ex ipsis sacris litteris, praesertim ex historia SIMSONIS in libro *Iudicum*. Linguae enim sacrae peritis omnibus notissimum est, de vrbibus vel oppidis edito vel elatiore loco sitis plerumque verbum עלה adhiberi, vbi significari debeat, quemdam eiusmodi vrbem vel oppidum petiisse. Ita de *Hierosolymis* saepius. At ne vnicum quidem in sacris litteris locum inueni, qui de *Gaza* verbum illud adhibuerit. E contrario de *Simsone* Iud. XVI, 1. dicitur tantummodo: eum IVISSE Gazam, (וילך) et v. 2. eum VENISSE Gazam, vel potius ad verbum: *venit Simson huc*. Nonne vero credibile, si *Gaza vetus*, quae tempore SIMSONIS erat, in colle vel elato loco sita fuisset, scriptorem sacrum verbo עלה alias consueto semel saltem vsurum fuisse? Quod cum plane nullibi factum sit, neque in vllo Scripturae loco, qui de *Gaza* agit, collis vel montis mentio fiat, excepto illo, in cuius verticem SIMSON portae Gazensis valuas portasse Iud. XVI, 8. dicitur, et qui fuit extra vrbem; hinc verisimile mihi videtur, *Gazam veterem* seu *primam* situm alium habuisse, quam *secundam*, ideoque hanc non eodem, quo illam, loco conditam fuisse.

§. XXII.

VIII. In eadem sententia iam olim versatus est Hieronymus.

Etsi persuasus mihi videor, *Gazam secundam* non eodem, quo *primam*, loco conditam fuisse; tamen argumentum, quod §. anteced. adduxi, nimis infirmum esse perspicio, quare §. sequ. aliud maioris roboris in medium sum prolaturus. Iam vero de HIERONYMI consensu breuiter dicere mihi liceat; qui, cum ipse in *Palaestina* fuerit, ea in re omnino praetermittendus non est. Statuit autem aetatis suae *duplicem Gazam*, alteram vastatam, florentem alteram, diuersum cuique situm tribuens. Attamen quia non dixit, vastatae se ruinas vidisse; argumento ex eo desumto non aliam vim tribuo, nisi qualem argumenta habent secundaria, primariorum in subsidium vocata. Atque de valore eius vt quisque iudicare ipse possit, verba HIERONYMI adiicio. „*Quaeritur*, inquit [s]), *quomodo in quodam propheta* „*dica-*

s) HIERONYMVS in Onomastico ap. VGOLIN. p. 195. 196.

„*dicatur Gaza futura in tumulum sempiternum? quod soluitur ita: anti-*
„*quae ciuitatis locum vix fundamentorum praebere vestigia; hanc autem, quae*
„*nunc cernitur, in alio loco pro illa, quae corruit, aedificatam.*„ Auctoritate HIERONYMI impulsi, recentiorum non pauci *Gazam duplicem* statuunt, situmque *nouae* a situ *veteris* discernunt; sed alios hic, alios ille errores admiscet, ex his meis obseruationibus facile corrigendos [t]).

§. XXIII.

IX. Argumentum maximi ponderis, quod Gaza secunda alio, quam prima, loco condita fuerit, locus Act. Apostol. VIII, 26. praebet, de Gaza prima, ab Alexandro Iannaeo deleta et post neglecta, sine dubio intelligendus.

ACT. VIII, 26. *Angelus* PHILIPPO: Αναστηθι, inquit, και πορευου κατα μεσημβριαν, επι την οδον την καταβαινουσαν απο Ιερουσαλημ εις Γαζαν, ΑΥΤΗ ΕΣΤΙΝ ΕΡΗΜΟΣ. i. e. „*Surge et vade versus meridiem,* „*in viam, quae descendit Hierosolymis Gazam, haec est deserta.*„ Locus hic interpretes valde, at immerito, vexauit, et varia ratione eum conciliare cum historia tentarunt. Omnis autem quaestio est de verbis vltimis: αὑτη ἐστιν ἐρημος, quomodo accipienda sint. BEZA et qui eum secuti sunt, referunt ea ad ὈΔΟΝ, ac si VIA Hierosolymis Gazam deducens deserta, vel minus frequentata, diceretur [u]). Sed interpretatio haec aliis merito reiicienda videtur, et recte RELANDVS: „De via ipsa, inquit, non video, cur ἐρημος diceretur magis, „quam multae aliae viae in terra Israelitica [x]).„ Addo, quod αὑτη potius ad nomen proximum, quam ad remotius, referendum videatur, et quod suppositio de duabus viis, tempore PHILIPPI Apostolorumque Hierosolymis *Gazam* ducentibus, altera vastata, frequentiore

t) Vid. DAPPER. *Beschreib. von Palaest.* p. 179. a. HARTNACC. Bibl. Geogr. L. XVII. p. 162 HEIDMANN. Palaest. c. V. p. 94. LIGHTFOOT. Centur. chorogr. ap. VGOLIN. p. 885. GROTIVS Annotat. ad Act. VIII, 26. CLERICVS in notis ad Indicem geograph. NIC. SANSONIS, ap. VGOLIN. Thes. Ant. Sacr. Vol. V. p. 699. 700. etc.

u) GLASSIVS in Philol. Sacr. L. III. Tract. II. p. 712. edit. Lipsi. 1713. RENGELIVS in Gnomone N. T. ad locum Act. et alii non pauci.

x) RELAND. in Palaest. L. III. p. 753. 754. v. *Gaza.*

tiore altera, nondum firmata sit ex historia. Nonnulli, qui verba de *Gaza* ipsa intelligunt, ex STRABONE male fingunt, *Gazam* ab ALEXANDRO MACEDONE deletam, nec amplius habitatam fuisse tempore Apostolorum. Sed sententia haec §§. XII. seqq. satis refutata, et locus STRABONIS discussus est. IACOBVS PALMERIVS, vt nodum secaret potius quam solueret, *Gazam* plane *nouam* et historicis omnibus ignotam effinxit, *Aegypto* propius sitam, et verba αὕτη ἐστὶν ἔρημος sic vertit: *quae est in deserto*, vel *iuxta desertum* y). Versio haec quam parum congrua sit, quisque facile perspiciet. Nouam vero *Gazam* suam ex POLYBIO probat, qui libro V. Histor. PTOLOMAEI iter ex *Aegypto* versus *Coelesyriam* describens tradit: eum per *Casium* montem et *Barathra* profectum esse, deinde παραγινομενον εἰς Γαζαν, parte exercitus adsumta, vlterius processisse, donec quinquaginta stadiis a *Raphia* abesset, et quidem versus austrum. ANTIOCHVS enim cum exercitu ei obuiam tendens, *Raphiam* praetervectus, primo decem stadiis ab hoste castra metatur, deinde quinque. Sic proelio inito, ANTIOCHVS in fugam coniectus retrocedit, et primo *Raphiam*, deinde *Gazam* fugiens, domum redire ac PTOLOMAEO Coelesyriam relinquere cogitur. Haec POLYBIVS. Sed repeto id, quod RELANDVS iam dudum respondit PALMERIO. „Certum est, *inquit* z), si omnia recte se habent in contextu Polybiano, *duplicem Gazam* statui. (Gazam scilicet *Palaestinae*, et Gazam „*Aegyptiacam.*) Sed si duplex fuisset, annon POLYBIVS debuisset, „vitandae confusionis ergo, hoc monere, aut vnam ab altera distin„guere aliquo cognomine? Et quis meminit illius *Gazae Aegyptia*„*cae?* Videtur igitur mihi locus cubare in mendo, et vel pro Γα„ζαν nomen loci ignotioris substituendum, vel aliquid aliud, quo „indicetur, eum (Ptolomaeum) non iam appulisse *Gazam*, sed pro„fectum eo, et constituisse eo vsque iter facere cum exercitu.„

Missis

y) Vid. IAC. PALMERII notae in POLYB. ad Libr. V. Histor. c. 86. inter ISAACI CASAVBONI ad Polyb. Hist. L. I. Commentarios p. 388. Tomo II. Hist. Polyb. ex edit. IAC. GRONOVII, Amstel. 1670. 8. Conf. eiusdem PALMERII notae ad STRABONIS Geogr. L. XVI. p. 1102. n. 1. edit. Strabon. *Amstel.* 1707.

z) RELAND. l. c.

Missis igitur interpretationibus male excogitatis omnibus, dicam quod res est. Nempe omnia si recte perpendas, sequitur ex loco ACTORVM APOST., *Gazam veterem* in scriptis V. Test. obuiam aetate APOSTOLORVM fuisse desertam. Nam verba αὕτη ἐστιν ἔρημος ad nomen praecedens Γαζαν referri debere, ordo verborum naturalis et grammaticus probat, nec est cur ab hoc ordine recedere cogaris. Ergo *Gaza* quaedam tempore APOSTOLORVM fuit ἔρημος. Sermonem non esse de *Gaza* quadam *Aegyptiaca* ficta, facile quisque concedet propterea, quod in toto librorum sacrorum volumine nullius vnquam *Gazae Aegyptiacae* facta est mentio. Itaque sermo est de *Gaza Palaestinae:* nam alia nulla scriptoribus sacris fuit cognita. Floruit autem aetate APOSTOLORVM in Palaestina *Gaza* quaedam *noua*, quam ego *secundam* voco, iussu Romanorum condita in locum *Gazae veteris* vel *primae*, in sacris V. Test. tabulis obuiae et per ALEXANDRVM IANNAEVM deletae. De *noua* hac vrbe sermo propterea esse non potest, quoniam ea APOSTOLORVM seculo ἔρημος dici haud potuit, nec si vel maxime vocabulum ἔρημος sensu leniori accipias, quo frequentationem minorem significaret. Frequentabatur enim iam inde a *Pompeii M.* et *A. Gabinii* temporibus, et in dies tantas vires ceperat, vt POMPONIVS MELA, qui sub TIBERIO et CLAVDIO vixit, eam *ingentem et munitam admodum* vocaret [a]). Quid restat? Loquitur ergo scriptor sacer de *Gaza* auctoribus Veteris Testamenti celebrata, quae mihi *prima* dicitur, et quam ALEXANDER IANNAEVS Iudaeorum rex solo aequauit ac penitus deleuit. (§. XIV.) Tertia non datur eius nominis vrbs APOSTOLORVM tempore. Igitur *Gaza prima* eo tempore fuit ἔρημος, i. e. deserta ac relicta ab incolis, vel non habitata. Non enim video, cur sensum alium voci ἔρημος h. l. tribuam. *Gaza* vero *prima* Apostolorum seculo cum fuerit ἔρημος, *Gaza secunda*, quae in locum eius successerat, eodem tempore florente; sequitur, quod *Gaza secunda* non eodem, quo *prima*, loco condita fuerit.

Caeterum si quae sentio omnia dicere debeo, verba αὕτη ἐστιν ἔρημος mihi videntur velut in parenthesi posita, et LVCAE, non *angeli*, verba

a) POMPON. MELA de Situ orbis L. I. c. XI. p. 22. edit. *Gronov.* et p. 14. edit. *Vossii.*

verba esse, a sacro scriptore consulto adiecta, ea mente vt, cum occasionem nactus esset de *Gaza* loquendi, simul statum eius desertum digito notaret, atque hac ratione lectorem de veritate praedictionis Zephanianae moneret. Persuasus enim mihi videor, verba ista ad locum ZEPHANIAE de *Gaza* respicere. Si quis autem ex me quaesiuerit: cur LVCAS, *Gazam primam* desertam vocans, eam non distinxerit a *Gaza secunda* eo ipso tempore florente? respondeo, *Gazam primam* eo ipso, quod DESERTA nominata sit, distinctam esse a *Gaza secunda* tunc florente. Alia vero distinctione opus non erat in libro aliquo sacro. Sacri enim scriptores inde a primis antiquissimisque temporibus *Gazam* nullam nisi *primam* nouerant, nec de alia vlla a prophetis, librorum Vet. Test. auctoribus, mentio facta erat. Quare vbi scriptor aliquis sacer Noui Testamenti *Gazae* nomen enunciabat, confusio metuenda non erat, nisi ab imperitis et in codice sacro peregrinis. Christiani vero primi, vbi *Gazae* nomen in libro aliquo sacro videbant expressum, statim *Gazam veterem* intelligebant, de qua sola MOSES omnesque post eum sacri auctores verba fecerant, et quam tandem anno 93. ante C. N. ALEXANDER IANNAEVS rex Iudaeorum penitus deleuerat, ex quo tempore locus eius desertus ac neglectus manserat. *Gazam* enim *nouam* vel *secundam*, ipsorum aetate florentem, sciebant alio loco paullo ante C. N. conditam esse, ac praeter nomen fere nihil cum *veteri* commune habere. Quin disputari adhuc posse credo, an Christiani, seculo Apostolico viuentes et *Gazae secundae* originem scientes, huic oppido *Gazae* nomen libenter tribuerint, quo indignum certe tunc erat multis de caussis.

Sed ne diutius inhaeream loco *Actorum Apost.*, iam paucis comprehendam, quae hactenus copiose disputaui. Nimirum sensus verborum ex mea sententia hic est. Narrat LVCAS, angelum Domini PHILIPPVM iussisse ire in viam, quae inde a multis seculis viatores Hierosolymis *Gazam veterem* deduxerat; et simul velut in parenthesi addit: GAZAM hanc, toties in sacris litteris Vet. Test. commemoratam et olim tam saepe a viatoribus frequentatam, *nunc* esse *desertam*; ad praedictionem ZEPHANIANAM respiciens, eiusque impletionem significans velut digito. Hoc ipso vero tacite LVCAS indicat, *Gazam* sui temporis, i. e. *secundam*, Gazam aliam esse, a *prima* distinctam,

nec

nec eodem prorsus solo conditam; quamuis negari propterea non possit, eamdem viam, quae inde a multis aetatibus ad *Gazam veterem* deduxerat, forte etiam ad *nouam* eius nominis vrbem proficiscentibus inseruiuisse.

§. XXIV.

X. Differentiam Situs Gazae vtriusque, veteris ac nouae, vel primae et secundae, determinare non audeo.

Vidimus §§. XXI. XXII. XXIII., maxime verisimile esse, quod *Gaza* Palaestinae *secunda* non eodem, quo *prima*, loco condita fuerit. Sequitur ergo, postquam POMPEIVS M. *Gazam* ab *Alexandro Iannaeo* euersam restaurari iussit, eos quibus rem concesserat vel commiserat, loco veteri neglecto, alium, quem forte commodiorem putarunt et qui non procul ab vrbe deserta abfuit, elegisse. Exinde vero patet, *Gazam secundam*, iussu ROMANORVM conditam et vsque ad tempora SARACENORVM celebrem, nihil fere cum *veteri* seu *prima* commune habuisse, nisi quod in locum eius successerit eiusque nomine insignita fuerit.

Sed quaestione instituta, *quomodo Gaza secunda situ differat a prima*; quid respondeam vix habeo. In sacris enim litteris situs *Gazae primae* non nisi in genere indicatur. Neque Scriptores exteri, qui *Gaza prima* adhuc exsistente scripserunt, luminis plus ea in re nobis accenderunt. Qui vero de situ *Gazae* apertius loquuntur, vixerunt *Gaza secunda* iam condita, neque commercii quidquam cum conditoribus eius habuerunt, praetereaque *Gazam primam* et *secundam* pro vna eademque vrbe accepisse videntur, quare nihil certi ex illis erui potest. Solus DIODORVS inter Graecos, et IOSEPHVS inter Iudaeos, *Gazam nouam* vel *secundam* a *Gaza veteri* vel *prima* aperte distinxerunt. Ille enim b) *Gazam*, ab ALEXANDRO MACEDONE expugnatam et a PTO-

b) DIODOR. SICVL. Biblioth. Histor. L. XIX. p. 723.

APTOLOMAEO SOTERE occupatam, παλαιαν Γαζαν της Συριας, *Gazam Syriae antiquam*, vocat, atque hac ratione *Gazam* sui temporis, memoria ipsius conditam, *nouam* vel *secundam* declarat. Alter vero vbique in libris suis discrimen facit inter *Gazam* ab ALEXANDRO IANNAEO euersam, i. e. *primam* vel antiquam, et inter *Gazam* iussu POMPEII M. et A. GABINII conditam, i. e. *secundam* vel nouam. Attamen neuter auxilii quidquam nobis offert ad explicandam differentiam, quae inter vtramque vrbem ratione situs interceſſit. Denique Scriptores itinerariorum, qui *Gazae secundae* ruinas, nec non hodiernum oppidum oculis conspexerunt, in describendo situ locorum, temporis iniuria omnino mutatorum, parum inter se consentiunt. Ostenduntur quidem nostris adhuc temporibus rudera nonnulla, quae pro reliquiis *Gazae primae* venditantur [c]). Sed si omnia bene consideres, rudera ista *Gazae secundae* reliquias esse, manifestum est.

§. XXV.

XI. Neque ex Strabone et Arriano certi quidquam ea in re decerni potest. Vestigia tamen adsunt.

ARRIANVS: ἀπεχει, inquit, ἡ Γαζα της μεν θαλασσης εἰκοσι μαλιστα σταδιους; i. e. *abest Gaza a mari* (mediterraneo) *stadiis summum viginti* [d]). STRABO vero: εἶθ' ὁ των Γαζαιων λιμην πλησιον, ὑπερκειται δε και ἡ πολις ἐν ἑπτα σταδιοις; i. e. *Postea* (post Ascalonensium regionem) *est Gazaeorum Portus, et paullo supra ad septem stadia vrbs* [e]). Igitur STRABO Gazam a mari mediterraneo *septem* stadiorum interuallo abesse scribit, (Portus enim ad mare fuit,) ARRIANVS autem

c) Vid. CHRISTOPH. FVERER VON HAIMENDORFF *Reisebeschreib. in Aegypten, Arabien, Palaestina, Syrien*, etc. *Nuernberg.* 1646. 8. p. 171. THEVENOT. Voyages, Prem. Partie, à Paris 1689. 8. Liv. 2. ch. 36. p. 569. etc. Conf. DAPPER. in Palaest. p. 181. a. HARTNACC. Bibl. Geogr. L. XVII. p. 162. etc.

d) ARRIAN. de exped. Alex. M. L. II. p. 150.

e) STRABO Geogr. L. XVI. p. 1101. 1102.

autem *viginti*. Ergo alter ab altero *tredecim* stadiis differt. Quod vbi primum vidi, discrimen, inter *Gazam primam* et *secundam* ratione situs intercedens, me inuenisse putaui. Nam cogitaui mecum, ARRIANVM, quia de *Gaza* ab *Alexandro Macedone* expugnata scripsit, situm vrbis *antiquae*, forte ex traditione ipsi cognitum, exhibuisse; STRABONEM vero, quia Asiam itinere peragrauit, forte *Gazam* sui temporis, i. e. *nouam*, vel *secundam*, oculis conspexisse, eiusque situm *nouum* litteris mandasse. At vero altius re considerata, deceptum me intellexi. Collatis enim cum ARRIANO et STRABONE iis, qui recentiori aetate itineraria in lucem ediderunt, *Gazae secundae* Seculo XII. in ruinis repertae et postea denuo in oppidum exiguum conuersae distantia a mari mediterraneo fere ab omnibus ita traditur, vt vel ab ARRIANO parum aberrent, vel numeros eius reddant. (Conf. §. VI.) STRABONEM autem omnes deserunt ita, vt ne vnus quidem ad eum descendat. Igitur ARRIANVS, situm *Gazae primae* siue *veteris* ab *Alexandro M.* expugnatae traditurus, sibi ante oculos posuit *Gazam* sui temporis, i. e. *nouam* vel *secundam*, et situm huius priori adfinxit. De STRABONE vero quid dicam nescio, nisi forte praesumere velis, eum vrbis *antiquae* vel *primae* situm ex traditione indicasse, *nouam* autem vrbem vel non vidisse, vel situm eius cognitum compertumque non habuisse. Tali modo non solum ARRIANVS et STRABO conciliari possent, sed et differentia quaedam inter *Gazam primam* ac *secundam* ratione situs adpareret. Nam si acciperes, *Gazam primam* ex STRABONE septem, *secundam* vero ex ARRIANO viginti circiter stadiis a mari mediterraneo abfuisse; sequeretur, aream *secundae* ab area *primae* tredecim fere stadiorum interuallo distasse. Sed cum nesciam, quid me doctiores forte obiicere possint; rem omnem iudicio eorum relinquo.

§. XXVI.

XII. A Gaza Secunda distinguendus est Portus eius ad mare mediterraneum, Maiuma Gazae dictus, in oppidum tandem conuersus et Constantiae nomine insignitus.

Portus Gazaeorum primus omnium STRABO meminit, qui *Augusto* imperante floruit. Vocatur ei ὁ τῶν Γαζαίων λιμήν, eumque inter

Ascalonem et *Raphiam* situm esse scribit [f]). Eiusdem portus Seculo post C. N. secundo mentionem fecit PTOLEMAEVS, qui eum, nescio quo errore, inter *Azotum* et *Ascalonem* collocauit [g]). EVSEBIO το Γαζαιων ἐμποριον [h]), aliis Μαιουμα, *Maiuma Gazae* [i]), nec non το ἐπινειον της Γαζαιων πολεως etc. [k]) adpellatur. *Maiuma* significare *portum*, verisimile est; sed vera vocis origo hodie non constat, quamuis ipsa vox מימם scriptoribus hebraeis ignota non sit [l]). Portus hic an *Gazae veteris* vel *primae* iam fuerit, nescio; sed cur dubitem, caussam non video. Successu temporis multi eo confluxerant habitandi caussa, et vicum iuxta eum ad mare condiderant. Hi superstitioni paganae antea admodum dediti, cum tempore *Constantini M.* Imp. Seculo IV. nomen *Christo* dedissent; Imperator, quo pietatem eorum maiorem in modum excitaret, maximo illos honore adfecit, ac vicum iure ciuitatis donatum *Constantiam* adpellari et episcopos a *Gazensibus* diuersos habere iussit [m]). *Constantiae* vero nomen alii a sorore [n]), alii a filio Imperatoris [o]) deducunt. Imperante *Iuliano*, quem *Apostatam* vocant, *Gazenses* litem mouebant aduersus *Constantiam*, quod, cum *Gazae* suburbium esset ad portum eius pertinens, tamen *Gazensium* potestati se subtraxisset et proprio ciuitatis iure vteretur. Imperator ipse iudex in hac caussa sedens, *Constantiensibus* indignatus, quod castra Christianorum non desererent, oppidum eorum, nomine et iure ciuitatis ei ademto, *Gazensibus* adiudicabat. Atque ex eo tempore *Constan-*

f) STRABO Geogr. l. c.

g) PTOLEMAEVS in Geogr. L. V. c. 16. p. 161. in PETRI BERTII Theatro Geogr. vet. T. I. *Lugdun. Bat.* 1618. fol.

h) EVSEBIVS de Vita Constantini L. IV. c. 38. p. 647. vid. cum eius Hist. Eccl. edit. *Cantabrig.* 1720. fol.

i) Vid. EVAGRIVS Hist. Eccl. L. II. c. 5. et c. 8. SOZOMENVS Hist. Eccl. L. II. c. 5. L. V. c. 3. L. VII. c. 21. etc.

k) SOZOMENVS H. E. L. II. c. 5.

l) Conf. RELAND. in Palaest. L. III. v. *Ascalon*, p. 559. 560.

m) Vid. EVSEBIVS de Vita Constantini L. IV. c. 38. p. 647. SOZOMENVS Hist. Eccl. L. II. c. 5. p. 52. edit. GVIL. READING, *Cantabrig.* 1720. fol.

n) EVSEBIVS l. c.

o) SOZOMEN. H. E. L. II. c. 5. p. 52. et L. V. c. 3. p. 183.

Constantia το παραθαλαττιον μερος της Γαζαιων πολεως, *maritima pars Gazaeorum vrbis*, adpellata, ac ciuili *Gazensium* magistratui subiecta fuit in rebus ad *politiam* spectantibus. Ad *ecclesiam* vero quod attinet, suum retinuit episcopum proprium, suum clerum, dies item festos martyrum suorum et commemorationes episcoporum suorum, suos denique limites, quibus ecclesiae episcopo subiectae a dioeceſi *Gazensium* fuerunt distinctae p). RELANDVS perhibet, Imperatores *Iulianum* secutos oppido nomen *Constantiae* et ius ciuitatis reddidisse ac restituisse q). Sed argumentum non video, quo haec firmari sententia possit, quamuis rem non negauerim. Idem vir doctus locum adfert e vita *S. Porphyrii*, ab eius discipulo MARCO DIACONO conscripta, vbi cap. 8. nomen *Maritimae partis Gazaeorum* legitur, additis verbis: *quam vocant Maiumam;* et alium ex SOZOMENO, vbi Γαζα προς θαλασσαν, ὁπερ και Μαιουμαν ὀνομαζουσι. Recte etiam MABILLONIVM taxat, qui *Constantiam* hanc cum *Cypri* vrbe eiusdem nominis commutauit. Cui errori alium adiicio recentiorum quorumdam, qui *Constantiae* nomen ipsi *Gazae* a *Constantino* Imp. impositum esse scribunt, et, quae de ἐμποριῳ vel portu Gazaeorum EVSEBIVS refert, omnia de *Gaza* ipsa intelligunt r). E numero episcoporum, quos *Maiuma Gazae* habuit, in actis conciliorum reperitur PAVLIANVS, qui Concilio Ephesino vna cum NATIRA episcopo *Gazae* interfuit; nec non PROCOPIVS, qui cum CYRILLO Gazae antistite in actis Concilii Constantinopolitani recensetur s). Seculo V. et VI., teste EVAGRIO, eius temporis scriptore t), in media fere via inter *Gazam* et *Constantiam* vel *Maiumam Gazae* fuit monasterium, in quo vixit SEVERVS, post Patriarcha Antiochenus, multarum epistolarum, homiliarum et commentariorum in Scripturam sacram, qui in *Catenis*

p) Vid. SOZOMENVS Hist. Eccl. L. V. c. 3. p. 183. 184.

q) RELAND. in Palaest. L. III. v. *Gaza.*

r) ADRICHOMIVS in Theatro Terrae S. p. 133. n. 46. HEIDMANN. Palaest. c. V. §. 47. p. 94.

s) Conf. RELAND. Palaest. L. III. v. *Gaza*, p. 762.

t) EVAGRIVS Hist. Eccl. L. III. c. 33. et ex eo RELAND. l. c.

Graecis allegantur, auctor. Caeterum *Constantia*, vel maritima Gazae pars, si solum *oppidum* spectes, eadem, quae *Gaza* ipsa, videtur habuisse fata, et *Saracenorum* temporibus euanuisse. *Portus* autem, successu temporis ruinosus factus, nostra aetate nautis parum vtilitatis adfert, quia parum tutus est et nimium desolatus [u]).

SOZOMENVS ipse Palaestinus adserit, *Constantiam* vel portum Gazae *viginti* circiter stadiorum interuallo ab ipsa *Gaza* fuisse dissitum [x]); et hinc cum ARRIANO consentit, qui *Gazam* totidem stadiis a mari mediterraneo abfuisse scribit [y]), cui numero inter recentiores calculum adiicit ADRICHOMIVS [z]). Patet autem exinde, quod §. XXV. iam probaui, ARRIANVM commutasse situm *Gazae secundae*, quae ipsius aetate floruit, cum situ *primae*, ab *Alexandro M.* expugnatae, cuius historiam scripsit; STRABONEM vero, qui *Gazam* non nisi *septem* stadiorum interuallo a *portu* ideoque a *mari* posuit, vel plane erasse, vel situm *Gazae primae* designare voluisse.

§. XXVII.

XIII. Ex antea dictis corrigi facile potest Ioannes Lightfootus, qui variis erroribus historiam Gazae deformauit.

Data occasione hactenus varios iam scriptorum errores, in historia *Gazae* commissos, indicaui atque correxi. Sed de IOANNE LIGHTFOOTO, Anglo celeberrimi nominis, separatim dicendum est, quippe qui tot erroribus historiam hanc deformauit, quot vix vllus alius, corrigi tamen facile poterit ex iis, quae hactenus probaui.

u) Conf. DAPPER. Palaest. p. 181. a.

x) SOZOMENVS Hist. Eccl. L. V. c. 3. p. 183.

y) ARRIAN. de exped. Alex. M. L. II. p. 150.

z) ADRICHOM. in Theatro Terrae S. p. 135. n. 56.

baui. Ipsa eius verba descripta reddam, iisque responsionem meam adiiciam [a]).

„*Post historias huius loci* (Gazae) *apud paginam sacram quam pluri-*
„*mas* — — *Babamesin tandem Persam in hac vrbe obsedit Alexander M.*
„*per spatium bimestre.*„ Hoc ita se habere, scriptores §§. XII. XV. a me adducti probant. Praefectum, qui *Persarum* nomine vrbem contra *Macedonem* defendit, IOSEPHVS vocat *Babemesem* [b]); CVRTIO autem *Betis* [c]), et ARRIANO *Batis* [d]) dicitur.

Pergit vir doctus: „*Vrbsque ista, quae ab olim nobilissima fuerat, ab*
„*eo* (Alexandro M.) *vastata est et reddita deserta.*„ Haec loci cuiusdam STRABONIANI auctoritate deceptus scripsit, de quo §. XV. copiosius disputaui. Ne quis autem putaret, ipsum verba STRABONIS eo sensu accipere, quo ab omnibus accipiuntur, qui *Gazam* per *Alexandrum Macedonem* penitus vastatam ac deletam credunt, statim addit: „*Non, quod ille* (Alexander M.) *fabricam vrbis diruerat, aut ab-*
„*sumserat igne. Nam illic post eius mortem pugnantibus ducibus eius, An-*
„*tigono et Ptolomaeo; muros, portas et munimenta ea habuit, teste Dio-*
„*doro. Sed quod pristina gloria eam deuestiuit*, (Alexander M.) *ita, vt*
„*liquefacta tandem foret in ciuitatem nouam eiusdem nominis, propius a*
„*mari conditam, vbi fuerat olim* Γαζαιων λιμην. *Illa* Γαζα παλαια
„*Diodoro dicitur, et* Γαζα ἐρημος *Straboni et Nouo Testamento, Act.*
„*VIII*, 26. *Noua tandem Maiuma dicta est, et postea Constantia, de*
„*qua vid. Eusebius et Sozomenus.*„ Verba haec quot scateant erroribus, omnes facile intelligent, qui obseruationes hactenus a me propo-

posi-

a) Vid. IO. LIGHTFOOTVS in Centuria Chorographica, praecipue ad S. Matthaeum, ap. *Vgolin.* in Thes. Ant. Sacr. Vol. V. p. 884. 885. cap. XIII. de *Gaza*.

b) IOSEPHVS Ant. Iud. L. XI. c. 8. n. 3. p. 580. T. I. opp. edit. HAVERC.

c) CVRTIVS de rebus gestis Alex. M. L. IV. c. 6. p. 182.

d) ARRIAN. de exped. Alex. M. L. II. p. 150.

positas ac defensas vel leuiter perlustrauerint; quare quantum fieri poterit breuiter respondebo.

Perhibet igitur vir doctus: I.) *Gazam post Alexandri M. contra eam expeditionem quasi liquefactam esse*, i. e. sensim ac pedetentim euanuisse. Sed §. XII. XIII. ex historia docui, *Gazam* post *Alexandrum M.* continua temporum serie floruisse sub eius successoribus, *Syriae* et *Aegypti* regibus, vsque ad aetatem *Maccabaeorum;* per *Alexandrum* vero *Macedonem* nihil, nisi partem incolarum veterum, amisisse, (conf. §. XV.) caeterum munitam et potentem adeo sequenti tempore fuisse, vt obsidionem amplius vnam pertulerit. Et ne quis eam per tot post *Alexandrum M.* obsidiones atque expugnationes *liquefactam* putet, §. XIV. ostendi, *Alexandrum Iannaeum*, Iudaeorum regem, verum eius euersorem, annua eam obsidione oppugnasse, neque vi expugnare potuisse, sed proditione tandem captam solo aequasse ac penitus deletam deseruisse; cuius contra *Gazam* expeditio Anglo doctissimo plane fuit incognita, sed a IOSEPHO, Iudaicarum rerum scriptore, copiose describitur e).

II.) Existimat, *Gaza post Alexandrum M. tandem liquefacta, vrbem nominis eiusdem nouam propius ad mare conditam esse.* Ignorauit igitur ea, quae IOSEPHVS memoriae prodidit, nimirum *Gaza* ab *Alexandro Iannaeo* deleta, triginta amplius annis post, *Pompeium M.* vrbem restaurari iussisse, eamque *Gabinii* cura speciem perfectiorem accepisse f). Quod vero alium *Gazae nouae* locum, quam *veteri*, adsignat vir doctus, in genere vel in se mihi quidem haud displicet. Ipse enim ego §§. XXI. seqq. verisimile esse probaui, quod *Gaza secunda* non eodem, quo *prima*, loco condita fuerit; quamquam discrimen, inter vtramque ratione situs intercedens, determinare ausus non

e) Vid. IOSEPH. Ant. Iud. L. XIII. c. 13. p. 670. Conf. de Bello Iud. L. I. c. 4. n. 2. p. 60.

f) Vid. §. XVI. vbi loca exhibui.

non sim. Sed vehementer tamen errat, quod vrbem *nouam* propius ad mare ponit. Si *veteri* talem situm adiudicaret, forte libentius consentirem. Vnde autem de *noua* sententiam hanc probare vult? Contrarium ipse se inscio propugnat. Nam cum *Gazam* STRABONIS pro *veteri* habet; accipiat etiam ex STRABONE necesse est, eam septem stadiis a mari distasse. *Noua* autem num quaeso propius ad mare condi potuerit? Porro *Gaza* STRABONIS si *vetus* vrbs est; sequitur, ARRIANVM situm *nouae* tradidisse, vbi *Gazam* viginti stadiorum interuallo a mari semouit. Atque hac ratione *Gaza noua* tredecim stadiorum maiore, quam *vetus*, distantia a mari abfuit. (Conf. §. XXV.) Et hinc *noua* propius, quam *vetus*, ad mare condita dici nequit; sed contrarium potius elucet.

§. XXVIII.

Contendit LIGHTFOOTVS III.) *Gazam nouam*, quae mihi *secunda* dicitur, *eo loco fuisse conditam, vbi olim* Γαζαιων λιμην *fuerit*. Et hoc falsissimum est, quoniam cum fide auctorum omnium, et antiquiorum, et recentiorum, pugnat. Decipi vero se passus est vir doctus loco STRABONIS male intellecto, quia scriptores alios cum eo non comparauit. Testibus ARRIANO et SOZOMENO, vrbs *noua* a *portu* abfuit viginti circiter stadiorum interuallo g). Idem confirmarunt rudera *Gazae nouae* vel *secundae*, Seculo XII. reperta, et omnes, qui in *Palaestina* fuerunt situmque locorum oculis conspexerunt h). Hi enim etsi in numeris non consentiunt, tamen omnes *Gazam secundam*, vel potius rudera eius, procul a mari portuque

g) ARRIAN. l. c. SOZOMENVS Hist. Eccl. L. V. c. 3. p. 183.

h) Vid. ex multis: WILLERM. TYR. Hist. L. XVII. c. 12. p. 917. L. XX. c. 21. p. 987. IAC. DE VITRIACO Hist. Hierosol. abbreu. L. I. c. 40. p. 1070. IO. TVCHER. *Reise zum heil. Lande* p. 678. ANDR. THEVET. Cosmogr. Orientis cap. 44. p. 157. EVG. ROGER. Terre sainte

tuque collocant. Neque λιμην Γαζαιων ante STRABONEM a quoquam memoratur; quare dici nequit, *Gazam nouam* conditam esse, *vbi fuerat olim* Γαζαιων λιμην. Etsi enim facile crediderim, *Portum* iam ad vrbem *veterem* ab ALEXANDRO IANNAEO deletam pertinuisse; tamen nemo scriptorum id expresse tradit, nec ex ipso STRABONE probari potest.

IV.) *Plane confundit Gazam nouam*, vel secundam, *cum Maiuma seu Portu eius, postea in oppidum conuerso et Constantiae nomine insignito.* At vero quam falsum hoc sit vt adpareat, non nisi loca EVSEBII et SOZOMENI, a viro docto male citata, euolui opus est, quorum vterque *Gazam* a portu vel *Maiuma* in oppidum conuerso et *Constantiae* nomine adpellato satis distinxit. Nam SOZOMENVS vbi refert: *Gazenses* litem aduersus *Constantiam* mouisse, quod, cum nauale *Gazensium* esset, olim *Maiuma Gazae* dictum, tamen *Constantino M.* imperante, iure ciuitatis adepto, *Gazensium* potestati se subtraxisset; *Iulianum* autem Imperatorem, caussa cognita, *Constantiam* denuo adiudicasse *Gazensibus*, atque ex eo tempore oppidum hoc, *Constantiae* nomine spoliatum, *maritimam Gazae partem* esse dictum; item, distasse *Constantiam* a *Gaza* viginti circiter stadiorum interuallo, et ex eo tempore politiam cum *Gaza* communem, ecclesiam autem separatam ac propriam habuisse, etc. SOZOMENVS, inquam, haec ita referens i), nonne satis distinxit *Maiumam Gazae* vel *Constantiam* ab ipsa *Gaza?* Quid quaeso caussae supereſt, vt auctoritate eius allegata vtramque confundamus? Sed ne cramben bis coquere videar, lectorem ad §. XXVI. h. diss. remitto, vbi de discrimine inter *Gazam* et *Constantiam*, vel *Maiumam Gazae*, verbosius disputaui.

V.) *Quod*

sainte Liv. I. ch. 16. p. 185. THEVENOT. Voyages P. I. ch. 36. p. 568. etc. Conf. §. VI. huius differt.

i) SOZOMENVS Hist. Eccl. L. V. c. 3. p. 183. 184.

V.) *Quod de Gaza veteri*, quam post Alexandrum M. *liquefactam* vocat, perhibet vir doctus, *eam Diodoro* Γαζαν παλαιαν, *Strabonis vero et Nouo Testamento Act. VIII*, 26. ἐρημον *dici*; ad haec breuiter sic respondeo. DIODORO Γαζα παλαια vocatur *Gaza* ab *Alexandro M.* vi capta posteaque a *Ptolomaeo Sotere* occupata et tandem ab *Alexandro Iannaeo* Iudaeorum rege deleta, quae mihi *Gaza prima* vel *vetus* adpellatur. DIODORVS autem hac ratione *Gazam* illam *antiquam* distinxisse videtur a *Gaza noua* vel *secunda*, ipsius aetate recens condita. De loco STRABONIS, quem vir doctus respicit, §. XV. disserui, et de loco *Actorum Apostol.* §. XXIII., quibus nihil amplius adiicio.

§. XXIX.

Hactenus igitur *historiam Gazae primae* et *secundae* in ordinem redegimus. Examinanda quoque esset STEPHANI BYZANTII, qui Seculo post Christum quinto vergente et sexto incipiente scripsit, de *Gaza* narratio [k]). Is enim de *Gaza Secunda* differens, quae ipsius aetate erat, nonsolum eam haud distinxit a *Gaza Prima*, in sacris litteris obuia et per *Alexandrum Iannaeum* deleta, verum historiam quoque Gazensem erroribus ac fabulis anilibus ita deformauit, vt correctione varia indigeat. At supersedere nunc hoc labore possum, quia eorum quae huc pertinent non pauca ex momentis historiae fide dignis et ex vetustate litterarum alio iam tempore publicaui [l]), reliqua suo tempore quoque allaturus. Itaque

k) Vid. STEPHANVS BYZANTIVS, in περι πολεων libro, voce Γαζα. Conf. THOMAS DE PINEDO, Lusitanus, qui eum Iatii iure donauit et observationibus illustrauit, in *Admonitione ad lectorem*, libro Stephaniano praemissa, *Amstelod.* 1678. *Lugduni Bat.* 1684. et 1688. fol.

l) Vid. Programma meum, quod in STEPHANI BYZANTII de *Gaza* narrationem inquirit, editum Lipsi. 1764. 4.

que ad perficiendam omnem hanc de Gaza tractationem reſtat adhuc, vt *Gazae hodiernae*, quae mihi *tertia* vocatur, *originem hiſtoriamque* inueſtigemus, et tunc demum *impletionem* euentumque *Zephanianae* de GAZA *praedictionis* e contextu hiſtoriae totius oſtendamus. Sed haec quia paucis abſolui nequeunt, iam filum lectorum pace abrumpo; proxima occaſione, ſi Deus voluerit, ad finem omnia perducturus.

Id 6020
(I)
X 2284726

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-791626-p0060-4

DE

GAZA DERELICTA FVTVRA

AD ILLVSTRANDVM LOCVM ZEPH. II, 4.

DISSERTATIO PRIOR.

QVAM

S. REV. ORDINIS THEOL. CONSENSV

PRO LICENTIA

SVMMOS IN THEOLOGIA HONORES

CONSEQVENDI

D. XIII. ET XIV. APRIL. A. CIↃIↃCCLXVIII.

IN AVDITORIO COLLEGII MAIORIS

DEFENDENDAM

EXHIBET

IOANNES FRIDERICVS BVRSCHER

SS. THEOL. BACC. ET PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS DES

GNATVS, PHILOS. PROF. EXTRAORD. COLLEGII MAIORIS

PRINCIPVM SODALIS ET H. T. PRAEPOSITVS.

LIPSIAE,

LITTERIS VDALRICI CHRISTIANI SAALBACHII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-791626-p0061-0